

Narodna in univerzitetna knjižnica  
v Ljubljani

153131



K

~~V1. 1. 1. 2.~~

2742. J. J. 20.



05. —



030048425



PERENNE  
PIETATIS  
IGNIARIUM,

SEU

VARIÆ PIÆ  
COGITATIONES

à


Quodam alienæ Salutis cu-  
pido Anonymo Ordinis Carthu-  
siensis Studiosè compilatum,

VITÆ

S. BRUNONIS

Metricè concinnatâ auctum, &

Sanctioris vitæ, ac felicitatis Æternitatis  
Candidatis in Xenium  
oblatum.



LABACI,

Typis, J. G. Mayr, Inclytæ Prov. Carn. Typ.



153131

## PROLOQUIUM

**E**Xerce te ipsum ad *Pietatem*. Pietas ad omnia utilis est; promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. *1. Tim. 4. v. 7.* Cogita etiamnum de Cœlo tibi dicere Apostolum: *Exerce te ipsum ad pietatem, &c.* Et tamen, quis credat? exclamat *in Manna Anima P. Paulus Segneri S. J. die 16. Julij.* Et tamen in Palæstra mundi tot exercent seipsums immensis laboribus, nec volunt exerceri in palæstra DEI. Hæc est communis hominum dementia. Quid si autem eadem esset, & tua mi *Lector*? tantum laboras pro servitio mundi, hoc est, ut *corruptibilem* coronam accipias. Quare non plus agis pro amore DEI promittentis *incorruptam*. *Ita dictus P. Segneri l. c.*



N 295/1971





DEDICATUM

SANCTO BRUNONI

Magno, & glorioso  
Carthusianæ suæ Religionis

Patriarchæ, & Fundatori.

Olim

Laudabili Philosophiæ, & Theologiæ

*Professori*: deindè

Admirabili sancti *timoris*, & *amoris*

*Divini Doctõri*;

*Arctæ Pœnitentiæ, & Speculo*

*Sectatori*;

Jurato sui corporis

*Tortori*;

Coloniæ Agrippinæ à Parentibus genere,


& virtute claris mundo *Nato*;

In Carthusia Dicecesis Gratianopolitanae

Eremo

*DEO consecrato.*



4   
Primi Monasterij, adeoque *Universi sui Ordinis*  
*primo Fulgori.*

*Mundi, Carnis, ac Dæmonis Triumphatori*  
*Fortissimo;*

*Viro virtutibus, meritis, Doctrinâ*  
*Prodigijs, & vitæ Sanctitate*  
*Clarissimo;*

*Deo, & hominibus, nec non summis Romanis*  
*Pontificibus Victori III. Urbano II. Leoni X.*  
*Alijsq; sui ævi Principibus in vita & post mortem*  
*Charissimo.*

*Seraphico Affectu,*  
*Et*

*Dulci Christi Crucifixi aspectu*  
*Flagrantissimo;*

*A Leone X. in Sanctorum numerum*  
*Relato;*

*Adhuc in vivis sibi, & Mundo Sanctè*  
*Denato;*

*Jugi Æternitatis, & mortis memoriâ*  
*In mortem cum Christo*  
*consepulto;*

*In Calabria Italiæ Provincia 1101.*

*Hinc de corpore mortis hujus,*  
*In Cœlum ad suam patriam gloriosè*  
*Translato;*





In Coelo gloria, & honore  
Coronato;

In terra, quot filijs,  
Tot fixis in contemplando DEO *Stekis*  
Illustrato;

Cum DEO Amore,  
Et animi consensione semper  
Coniuncto;

Sibi denique, suoque Ordini sincerè  
ac devotè addictis in calamitosis, &  
insperatis sinistris Casibus; hostium  
Insidijs; periculilque corporis & animæ,  
ac præsertim in ardua *mortis* lucta  
*Patrono Fidelissimo;*

Advocato nostro apud DEUM  
*Potentissimo;*

In Deferto desertis Pupillis  
Patri *Amanatissimo.*  
*Colendissimo.*

*Ec. Ec.*

In servitutis demississimæ,  
filialis amoris, & debiti  
honoris monumentum.

In Digna Carth Vsla In FreIDnIz  
sVo sanCto patri Defert





Annò 1717.

QVÔ PRIOR ANDREAS CLAVES IN  
 VALLE tenebat,  
 Ver VS Egenor VM, Cœnob IJq;  
 pater.

Vis majora canam ? superat \* Candore \* Ru-  
 bricas,

Sed quoties, quæris ? tu numerando  
 vide. (a)

Ac, ut sint tales plures in Valle Sodales

Candore, & meritis, ac pietate pares,

OCTONÆ STELLÆ influxu sit Lector Adauctus,  
 Doctrinâ Clarus, Relligione Cliens.

*Ita os alienum.*



\* Animi, seu sinceritate \* notas numerales.

(a) 1884. millies octingenties, octogies quater.

Ad





## *Ad Lectorem.*

**S**iste gradum *Benevole Lector*; paucis te volo, imò paucissimis. *Tolle, Lege*, quas manu teris pagellas. Ac utinam eâ tuorum morum mutatione, & Spiritûs Sancti inspiratione, quâ olim S. Augustinus! hæres? ut video, viribusque diffidis. *Maçtè animo! Manus Domini non est abbreviata. DEUS quoque idem est, & potens, & dives in omnes, qui invocant eum, & adorant in Spiritu, & veritate. Quod tuum est, magnis animis aude, & age; DEUS pijs Clientis sui votis non deerit, qui dat omnibus affluenter & non impropert: neque ulli facienti, quod in se est, denegat gratiam.*

*Unum est, Asseverante Thom. Kemp. Lib. 1. c. 25. n. 3. Quod multos à profectu, ferventi vitæ emendatione, & ab executione Sanctioris Propopositi retrahit; horror scilicet difficultatis, & labor certaminis. Verùm lege vitas Sanctorum, & Acta eorum; & erubescere, ora, ac digitum querulo oricum Genio Brunonis NB. impone, dicens cum Augustino: possunt hi, possunt bæ; quare non ego? simulque expende, quod idem addit, quia modicum nunc laborabis, & magnam requiem, imò perpetuam latitiam invenies. En merces tua magna minis!*

A 4

Qua.

(NB.) aspice, & tace, 'st.





*Quare, si sapiſ,*

Noli ampliùs quærere cum Evangelico Juvene: *quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Sed conſilium Chriſti amplectens: Matth. 19. v. 21. *vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cælo, & veni, & ſequere me, &c.* vide & age conformiter ad doctrinam - - - pag. poſitam.

## M O D U S

*Pias has Cogitationes, ſeu Igniculos  
ad praxim deducendi,*

S E U

*Ignem Divini Amoris in ſe excitandi.*

**M**Odum hunc præſcribit S. Ignatius *in Lib. Exercit. de tribus modis orandi, Sic:*

**Vel,** Singulas voces cujuſlibet conſiderationis, ſtrophæ, aut carminis inter ſingulas reſpirandi vices tranſmitte, expenſâ interim ſignificatione, & veritate prolatae vocis.

*Qui à S. Ignatio vocatur tertius modus orandi.*

**Vel,** Singulis vocibus ordine inſiſte: v. g.

*Quo me vocas æternitas, ſtatera veritatis, &c.* quamdiu circa eas variæ ſignificationes, & Spirituales motus voluntatis, & affectus occurrunt. *Et dicitur Secundus modus orandi.*

PARS





PARS PRIMA.  
Parænesis Poëtica,  
SEU  
*Igniculus Primus.*

CAPUT PRIMUM.

*D. Dominicus Carthusianus, &  
P. Hermanus Hugo S. J. memoriam 4. Novissimorum  
ingerunt, Candido Lectori.*

§. I.

I. **H**OMO DEI creatura,  
Cur in carne moritura,  
Est tam parva tibi cura  
Pro æterna gloria?  
Illa quanta sit, si scires  
Præter eam nîl sitires,  
Nec mundana sic ambires  
Vana, transitoria.  
Et si pœnas infernales  
Agnovisses, quæ? & quales?  
Tuos utique carnales  
Appetitus frangeres.



Et innumera peccata,  
 Dicta, facta, cogitata  
 Mente totâ consternata  
 Meritò deplangeres.

Tot sunt gaudia Sanctorum,  
 Tot tormenta reprobatorum  
 Quòd immensitas amborum  
 Nullo sensu capitur.

Donec anima post mortem,  
 Aut Bonorum sumat sortem,  
 Aut Malorum ad Cohortem  
 Improvisè rapitur.

*Cui accinit Hugo S. J. lib. 1. gemitu 14. anima  
 pœnitentis.*

*Eidem argumento insistens.*

**P**Rô pudor! usque adeò est homini mens  
 cæca futuri:

Ut nisi quæ videat, nulla pericla putet?

Scilicet hoc sapere est, tantùm præsentibus angi,

Nec procul aspectis consuluisse malis!

Ante tubas, Miles, dicto parat arma duello;

Cùm sonuère tubæ, seriùs arma parat:

Navita, quas captat, prælagus prospicit auras,

Anchora velivolum nec remoratur iter:

Quas veniente metet segetes æstate Colonus

Credidit excultis, antè, Colonus agris.

Provida quin etiam metuens formica Senectæ,

Vectat in annonam paucula farra suam.



## §. II. De Novis. 1. Mors.

O! Gens sine consilio, & prudentia! (a) exclamat hic S. Bonaventura, *Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!* (b)

O mors bonum est iudicium tuum. (c)

*Dom. Carth. de morte.*

Quando caro sepelitur, *Dom. Carth.*

Heu de spiritu nil scitur;

Utrum gaudet, an punitur,

Non est magna quæstio.

Luctus quidem simulatur,

Sed substantia vastatur

In propinquis generatur

Zelus, & contentio.

Mors est bonis, mors est malis,

Sed fors nimis inæqualis

Subinfertur, æternalis

Vitæ, vel interitûs.

Exequiæ si celebrantur

Si vel noti convivantur,

Nil defuncto suffragantur,

Si tunc est immeritus.

*Cui concordat Hermanus Hugo S. J. gemitu penitentis animæ. l. c. de morte.*

O Quid agis, gens eventûs ignara futuri?

Tempora, quæ veniunt posthuma, nulla times?

(a) *Opus. de contempt. sæculi.*

sta-

(c) *Deut. c. 32. (b) Eccles. 41. v. 1.*



Stamina perpetuo fors nent adamantina filo,

Aut cessant triplices volvere pensa colos?

Falleris, ah! nulli datur has placâsse sorores;

Una licet parcat, de tribus, una secat.

Fœdera fors pacto sanxêre perennia clavo,

Concordes stabili vitâque mórisque fide?

Falleris, ah! nimium tibi pacta faventia fingis.

Non servant ullam vitâque mórisque fidem.

Antè, nivem fidis lambent incendia flammis

Jurâque fœdifragis sanciet Auster aquis.

Antè, dies nocti pacem, nox antè diei

Servet, & infestis accubet agna lupis.

Omnia letifero latè Mors subjugat arcu,

Quidquid & hoc Phœbi vescitur igne, necat,

Nemô venenatæ vitavit arundinis ictum,

Omnis ab hac cervix, cuspide vulnus habet

Hïc teneros Matrum capit inter brachia, Natos,

Aut cunas tumulum, cede recente facit.

Hïc pueros, alibi configit arundo puellas;

Hïc juvenes; illic funerat illa senes.

Statâque jam nullo discrimine, funera miscet

Militis, atque Ducis corpora mixta jacent.

Nec micat aurata tibi, Crœse, cadaver arena,

Pulchrior haud tuus est, pulchra, Rebecca cinis

Aspice, quid cineres sit Cæsaris inter & Iri?

Omnibus en color est unus, & unus odor.

Quid juvat his igitur tantum confidere rebus,

Ceu lethi imperio vita soluta foret?



Stat sua cuique fides, depleto ferrea fuso,

Seriùs aut citiùs quemlibet urna vocat.

Cogimur huc omnes, huc sumus, & infim<sup>9</sup> ordo,

Ibimus, emenso tempore quisque suo.

Ac tùm si vacuas animas simul iret in auras,

Ut vapor in nebulas extenuandus abit!

Morsq; foret nostræ quoq; meta novissima vitæ,

Mors simul amborum corporis, atque animi?

Quam bona mors esset posituris morte dolores,

Quos nova post vitam, vitâq; morsq; daret?

Quilibet extremam lætus properaret ad horam,

Et puto vivendi vix superesset amor.

*Audis Candide? Et quid inde? Judicium. Judi-*

*cium? ita. Statuum est hominibus semel?*

*mori, & post hoc Judicium. ad Heb. c. 9. v. 27.*

§. III. De Noviss. 2. Judic.

*Et quid inde? E heu!*

**N**ullum tempus pœnitendi, Dom. Cart.

Mora nulla revertendi,

Nec tunc locus fugiendi

Miseris supererit.

Si vis sursum, detrahêris,

De abyssis extrahêris,

Judici ut præsenteris;

Nihil tibi proderit.



Si JESUM non dilexisti,  
 Nec MARIÆ servivisti,  
 Nec patronum quæxivisti;  
 Tibi in subsidium;

Quis orabit pro delicto,  
 Quis spondebit pro convicto,  
 Quis iudicio tam stricto,  
 Fiet in præsidium?

Pacis Angeli adstabunt,  
 sicut scriptum est, plorabunt,  
 Justam tamen approbabunt  
 Judicis sententiam.

Et quod sonat magis durè,  
 Omnes DEI Creaturæ  
 Aggravabunt justo jure  
 Ream conscientiam.

Sed hæc factis ex scelestis  
 Est sui ipsius testis,  
 Nullam Judicis in gestis  
 Intuens injuriam.

*Et referet unusquisque propria corporis prout gessit,  
 sive bonum, sive malum. (a)*

**S**Ed dolor, heu! non est mors ultima linea  
 rerum,

Non necat hic animũ, qui cremat ossa, rogas,  
 At postquam è terris anima exhalata recessit,  
 Judicis extemplò sistitur ante pedes.

(a) 2. Corinth. c. 5. v. 10.



Ille sedet, justumque, & inexorabile Numen,  
Flammæque sunt oculi, flammæque fulva caput.

Illa, (tremens, metuensque oculos attollere  
Cœlos)

Dura catenata vincula mente gerit.

Ille sinus animi, fibræque introspicit omnes,  
Quodque latet tacitum nocte favente nefas.

Illa scelus, convicta, suum pudibunda fatetur,  
Nec videt effugio, quem petat esse locum.

Ille simul Judex, testis simul, & simul actor,  
Comperti statuit criminis esse ream.

Illa memor nullis hanc flecti questibus aulam,  
Heu! frustra effusis se sepelit lacrymis.

O, Quis tunc animæ sensus, quæ cura relicta,  
Nullus ubi pro se, jure patronus agit!

Nempe vocat montes, & inhospita culmina,  
Cautes,

Antræque queis trepidum condant operta caput,

O Anima! ô Judex! ô non placabilis urna!

Quis secum hæc meminit, nec citò dirigit?

#### §. IV. De Inferno 3. Noviss.

##### Infernus

**T**unc horribiles tortores *Dom. Carth.*

Tot incutient terrores,

Ut jam sentiens dolores

Vertatur in furiam.



Tunc à bonis reprobata,

In seipſa desperata,

Anima ſic deſolata,

In profundum mergitur.

Ubi chaos obfirmatur,

Ut nunquam egrediatur,

Sicut Abraham teſtatur,

Hinc illuc non pergitur.

O! Quæ lingua vel narrare,

Vel quis ſenſus cogitare,

Quis vel audet numerare

Mala multiplicia?

Quæ damnandis ſunt parata,

Et diverſis deputata,

Prout ſingula peccata

Exigunt, & vitia!

Ignis, frigus procellarum,

Sulphur, foetor tenebrarum,

Jugis luſtus animarum,

Pars eorum calicis.

Sempiterna mors, Dracones,

Fames, Dæmones, bufones

Amariffimos Agones

Superaddunt miſeris.

Tot ſunt loca tenebroſa

Tot tormenta monſtruoſa,

Quòd hæc terra ſpatioſa,

Atque viſibilia,

Quaſi



Quasi parum sint miranda,  
 Nec ad illa comparanda,  
 Ista quippe enarranda,  
 Hæc indicibilia.

*Novissimum III. & IV. simul*

**S**ed nondum hęc tanti clauduntur sine do-  
 lores:

Altera adhuc restant, vitæque, mórſque super:

Vita perennanti, quæ sæcula protrahet ævo,

Mors longa extremum non habitura diem.

Ah quibus, ah quantis laniabitur hæc tormentis!

Ah quibus, ah quantis affluet illa bonis!

Illa, suas pascit Divino nectare mentes!

Hæc, miscet liquida pocula plena pice.

Illa, Chely Angelicâ, vel gutture carminæ  
 fundit;

Hæc, gemit horrendis exululata fonis.

Illa, agit æternas, cœlo plaudente choreas;

Hæc salit ad colubros, sæva Megæra, tuos.

Illa, nec æstivis, gelidis nec aduritur astris;

Hæc furit immitis igne gelûque vadi.

Illa, per æthærios agit otia mollia campos;

Hæc, agit æterni triste laboris opus.

Illa dolorû expers, mala nulla, nec aspera sentit;

Hæc, patitur dirum quidquid Avernus habet.

Felix opibus, felix tot vita triumphis!

O gravis, ô tantis mors metuenda malis?



Vel tua, vel tua, nos dubio manet alea jactu;  
Alea non aliâ proijcienda vice.

Ah subeant vestri geminæ sic pectora curæ  
Ut semel alterius fors obeunda cadet.

*Ecce posui ante te ignem & aquam, &c.*

§. V. De Cœlo

*Latabuntur Sancti in gloria*

**S**ic lætitia Sanctorum,  
Jucunditas Angelorum,  
DEI Gloria Deorum  
Est inenarrabilis.

Eris clarè DEUM videns,  
Fruens, & amore tenens,  
Potens, sciens placens, gaudens,  
Fulgens, liber, agilis.

Ubi Conditoris tui

Vultu semper possis frui,  
Felix prorsus, illa cui  
Visio conceditur.

**A** qua nunquam separatur,  
Sed perpetuò lætatur;  
Mali nihil formidatur,  
Nec quis ibi læditur.

Illic Angelorum chori,  
Sancti facie decori,  
Vivere, & nunquam mori  
Mortis nec memoria:



In æternum sed gaudere,  
 Summo bono inhærere,  
 Cuncta bona possidere  
 In æterna gloria:  
 Nunquam auris hæc audivit,  
 Nec videre quisquam scivit;  
 Solùm qui in cœlis vivit,  
 Scit experientiã.  
 Quid à malis liberati,  
 Et in gloria locati  
 Ipsi possident beati  
 In Christi præsentia.  
 Sed his paucis propalatis,  
 Partim tactis, & narratis,  
 Quæ tum Sanctis, tum damnatis  
 Præparata legimus.  
 Jam prudentiùs agamus,  
 Sanctam vitam eligamus,  
 In hoc mundo defleamus  
 Mala, quæ peregimus.  
 Non vivamus ùt jumenta  
 Ne post mortem ad tormenta  
 Veniamus, & lamenta  
 Intolerabilia.  
 Modò veniam precemur,  
 Mortem Christi meditemur,  
 Ad superna præparemur  
 Desiderabilia.



Ecce mundus evanescit  
 Decor ejus jam marcescit,  
 Et quotidie vilescit  
 Fallax ejus gloria.

Quæ demergit ad inferna  
 Ergò gloria superna,  
 Vita nobis sempiterna,  
 Jugis sit memoria.


Ut defuncti sublevemur,  
 Cum Cœlitibus lætemur,  
 Et in DEO gloriemur  
 summè delectabili.

Qui solus glorificandus  
 Est, amandus, & optandus  
 Laudéque magnificandus  
 Est interminabili.

Quod huc spectat, audi. Fuit, qui toties  
 quatuor *Consiliarios*, & eorum *Præsides* consu-  
 lebat, quoties peccandi pelliciebat occasio.  
 Porrò illi *Consiliarij* erant *quatuor Novissima*,  
 & *Præses Æternitas*. Hocne egero, inquit,  
 mors! quid sentis? Pœnitebit, ait, Idemque  
 rogati ex ordine reliqui, uno ore dixêre, sive  
 hæc historia, sive parabola sit; tantidem est: In-  
 terim hos *Consiliarios* consulere consultissimum  
 est.

Propositum. *Urgente tentatione dicendi Rosa-*  
*rium de 4. Novissimis at infra.*





COGITATIO II.

IN VITAM

SANCTI BRUNONIS,

SEU

*Igniculus Secundus.*

Resultans ex Consideratione 4. Noviss.

*Quoniam vidi Contradictionem in Civitate. Ecce  
elongavi fugiens; & mansi in solitudine. (a)*

**P**Arisiensis Canonicus, non vulgaris virtutis  
simulator, qui, cum sibi parentaretur,  
elatâ voce clamavit (*justo DEI judicio damna-  
tus sum*) adeò Brunonis animum commovit,  
ut in Solitudinem, cui Carthusiæ nomen est,  
unâ cum sex alijs socijs se receperit, ubi floren-  
tissimi Ordinis PP. Carthusianorum jecit fun-  
damenta; qui quidem Ordo etiam nunc primi-  
genij Spiritûs feruore exardescit. In sua Cala-  
briæ solitudine obiit anno 1101.

§. 1. Ut S. Bruno ad mortem pararet sese,  
aptiorem locum eligere non poterat, quàm  
solitudinem, ut mundus salutis nostræ in-  
fensissimus planè profligatur; ubi nihil ad pec-  
catum, ad virtutem omnia pelliciunt. O sua-  
vissima solitudo! si noscerent homines, quibus

B 3

gau-

---

(a) Psal. 54 v. 10, & 8.



gaudijs perfundas solitariorum animos, profecto desertis urbibus, omnes ad te convolarent. *Solitudo solemnis regia Salvatoris.* Tert.

§. 2. Profligato mundo restabat, ut carnem vinceret, quæ mundo relicto non relinquitur. Itaque perpetuo cilicio, assiduis propè jejunijs & alijs austeritatibus, carnem domitam habuit. Mundani! ne tantum vos ametis ut arbitremini poenitentiam solis Religiosis convenire; Vobis magis necessaria est, tum ob plurium peccatorum expiationem, tum ad victoriam majorum tentationum, quibus undique cingimini.

§. 3. Postremò dæmonem oratione superavit. Majorem partem diei, noctisque in divinis commentandis, ac DEI laudibus concinendis ponebat: præ gaudijs, & delicijs, quibus in oratione redundabat, solitudo ei erat paradisus. Fuge in solitudinem, ut mundi laqueis expeditus, his gaudijs potiaris.

#### ORATIO.

**S**ANCTI BRUNONIS Confessoris tui, quæsumus Domine, meritis adjuvemur, ut, qui Majestatem tuam graviter delinquendo offendimus, ejus meritis, & precibus nostrorum delictorum veniam consequamur. Per Dominum, &c.



EPIGRAMMA  
S. BRUNO

*In Eremito pœnitens, licet inermis, Victor tamen  
fortis extitit in mille.*

*Cingite florigeris Brunonis tempora lauris,  
Martyrium cujus vita perenne fuit.*

*Mundum devicit, vicit cum Dæmone carnem,*

*Inque malum triplex, Victor Hic Unus erat!*

*Dæmona spernendo, Mundum linquendo, do-  
mando*

*Carnem! sunt tantum tres; mala mille tamen.*

*Pete gratiam, hunc Sanctum in fuga mundi, &  
amore solitudinis sequendi, & ora ejus  
Officium retrò pag. - -*

*Lectio Spiritualis. De Exemplis Sanctorum ex Th.  
Kemp. de Imit. Christi lib. 1. c. 18. & 19.*

*Scintilla Igniculi Primi & Secundi  
SEU*

*Lucrosissima Industria in quoli-  
bet vitæ Statu.*

*DEUM placandi, & eidem de præteritis delictis  
nostris in hac vita adhuc satisfaciendi per varios  
virtutum actus Manè, & interdium sapius exer-  
cendos.*



**S**S. Trinitas unus DEUS meus, & omnia, cre-  
do, spero, amo, adoro Te: ac per manus, omni-  
& omnia merita Crucifixi JESU, MARLÆ unqu-  
Angeli mei, Sancti N. & omnium Seraphino quan-  
rum, ac Electorum tuorum maximè illorum quod  
qui te in hac vita summoperè dilexerunt, of-  
fero Divinæ, atque infinitè amabili Majestati noru-  
tuæ, cum profundissima cordis humilitate fervu-  
in sacrificium laudis, & holocaustum amoris delecto-  
Tui, me ipsum, & omnes, ac nullâ omisâ, parâ amen-  
tulatim, singulas meas cogitationes, verba, quid-  
opera, respirationes hujus diei, hebdomadæ,  
mensis, ac totius vitæ, & mortis meæ.

1. In *gratulationem* de omnibus bonis quæ  
habes à te; & quæ JESUS, MARIA, meus An-  
gelus, Sanctus N. ac omnes omninò Electi, tui  
habent à te: & de omni amore quo amaris  
ab illis: ac imprimis de illo, quo tu ipse infini-  
te amas te.

2. In *gratiarum actionem* pro Incarnatio-  
ne, Sacramentis, ac omnibus, donis, quæ  
ego indignissimus habeo à te & quæ JESUS,  
MARIA, meus Angelus, Sanctus N. ac omnes  
Creaturæ tuæ, etiam ingratae habent à te.

3. In *preparationem* pro felici morte, pro  
Sacramentis ( ultimis potissimum ) ac inspira-  
tionibus, Indulgentijs, & omnibus donis quæ  
habebo à te.



4. In *detestationem*, & *satisfactionem* pro  
 nus, omnibus malis, quibus ingratus ego, vel ulla  
 LÆ unquam creatura offendit te. Et utinam nun-  
 hino quam offendissem te, sed semper odissem,  
 rum quod est contra te!

5. In *approbationem* omnium omninò bo-  
 estatiorum, quibus unquam, vel ego indignissimus  
 ate fervus tuus, vel ulla creatura delectavit, aut  
 noris delectabit te! & utinam semper plus, & plus  
 par amemus te! & faciamus, ac patiamur, quid-  
 erba quid magis placet tibi!

6. In *intercessionem* pro amicis meis, & ini-  
 micis, pro omnibus afflictis, pro omnibus in  
 quæ agone vel in tentatione periclitantibus: pro  
 An- omnibus vivis, & defunctis: NN. maximè au-  
 , tui tem pro ijs, pro quibus tibi magis gratum est,  
 maris ut orem te. Fac ut omnes, omnes, ac singuli  
 fini- semper amemus te.

7. In *adeptionem* omnium indulgentiarum  
 tio- (desidero enim hodie, ac semper acquirere  
 quæ omnes indulgentias quascunque possum) &  
 IS, virtutis, quam quæro in examine particulari:  
 nes ut ex puro motivo amoris tui in hac virtute  
 perseveranter vincam me: & fiam in dies ma-  
 pro- gis idoneus ad plus amandum te. Extirpa ex  
 ira- me, quidquid impedit me in amando Te.

8. In *efflagitationem*, impetrationem, &  
 quæ quotidianum augmentum veri, solidi, æterni



amoris tui, ut inspirationibus tuis obediens, ac semper ad id, quod tibi magis placet solerter, sagaciterque attentus, ex toto corde meo, & ex toto anima mea, & ex tota mente mea, & ex toto intellectu meo, & ex tota virtute mea, & ex omnibus viribus meis, & ex tota fortitudine mea, usque ad mortem semper, & ubique, magis ac magis amen te super omnia, & ideò doleam super omnia, quòd te unquam vel levissimè offenderim, Deus meus, & omnia, & utinam hæc omnia, possem dicere omni ardore omnium tibi placentium voluntatum!

9. Denique offero tibi me totum quantum sum, & mea omnia, cum omnibus omnino sacrificijs, quæ unquam tibi placuerunt, aut placebunt; cum Seraphinis; & omnibus Sanctis tuis: eâ intentione, quæ tibi omnium maximè placet, eâ quæ ullo unquam libro, calamo, corde, aut cogitatione est expressa, vel exprimenda: eâ, quâ operatus est JESUS, MARIA, JOSEPH, N. & omnes illi Electi tui, qui tibi maximè placuerunt: cum quibus volo, volo, totus volo, & supplex peto sequi te, ac amare Te in æternum super omnia, DEUS meus, cujus amore his meliõra vellem, si mihi his meliõra occurrerent. Doce me amare te, Amen.



*Aspice hic, pie lector, visione imaginariâ Brunonem tristi damnati Doctoris Spectaculo consternatum, ante Crucifixum prostratum, ac orantem.*

### Igniculus III.

## Brevis Dialogus Christum inter,

*& Brunonem, in quo Bruno se per varios actus totum Christo consecrat.*

#### BRUNO.

**D**omine JESU Christe, fili DEI vivi, misere-re mei secundum magnam misericordiam tuam, (a)

*Exaudi Domine vocem deprecationis meae, dum oro ad te: dum extollo manus meas ad te, (Psal. 27. v. 2. &c.)*

*Ne avertas faciem tuam à me: ne declines in ira à servo tuo (Psal. 26. v. 9. &c.)*

*Esto mihi in DEUM protectorem. Et in domum refugij, ut Salvum me facias. (Psal. 30. v. 3. &c.)*

*Adjuva me Domine DEUS meus: salvum me fac secundum misericordiam tuam. (Psal. 108. v. 26.)*

*A Judicijs enim tuis timui (Psal. 118. v. 12.)*

#### CHRISTUS.

*Quid igitur tibi, vis faciam? Luc. c. 18.*

(a) Psal. 50.



Ut non cadam, sed evadam de mundi naufragio.

CHRISTUS.

*Confide fili. Matth. c. 9. v. 2.*

*Medium 1. amor Crucis.*

Est via mors, scapha Crux, mare mundus, portus Olympus;

Ut teneas portum, Crux tibi navis erit

Sit licet infernus totus tuus Antigonista

Tu tamen insignis, me Duce, Victor eris.

Sit licet in terris Confusio maxima rerum,

Bella movente *Noto*, bella movente *Salo*.

Undique sint Scyllæ, sint undique mille pericla,

Mille pericla domi, mille pericla foris,

*Quin imò*

Infernus, mundus, caro sons, tibi bella minentur

*Macte animo!*

Qui monet; is DEUS est, fortis, & omnipotens

*Noli timere Bruno, ego protector tuus sum. (a)*

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito:

Sit medium primum, Crux scapha, remus  
amor:

Hoc medio vinctes præcognita Signa strategi;

Me, Signoque Crucis velificabis ovans

BRUNO

(b) *Spes humani generis, Christo, DEUS de DEO,*  
*refu-*

(a) *Gen. c. 15. v. 1.* (b) *Ang. solibus c. 35.*



refugium nostrum, & virtus, cuius lumen à longè, inter caliginosas nebulas, super maris procellas, quasi stellæ maris radius, oculos nostros irradiat, ut dirigamur ad portum. Gubernata, Domine navim nostram, tuâ dextrâ, clavo Crucis tuæ, ne pereamus in fluctibus, ne nos demergat tempestas aquæ, neque absorbeat nos profundum; Sed unco Crucis retrahere nos ab hoc pelago, ad te solamen unicum nostrum, quem à longè (quasi stellam matutinam, & Solem iustitiæ) vix lacrymantibus oculis in littore cœlestis Patriæ nos expectantem videmus: Exaudi nos DEUS Salutaris noster, spes omnium finium terræ & in mari longè. In mari turbulento versamur; tu in littore stans, aspicias pericula nostra: Salvos nos fac propter nomen tuum. Da nobis Domine, inter scyllam & Charybdim ita tendere, & tenere medium, ut utrôque periculo evitato, securi perveniamus ad portum.

## CHRISTUS.

Jam monui supra, paucis nunc dico secundo  
Ut sis in tuto, naufrage Bruno fuge \*

*Mundum immundum.*

---

Medium 2. fuga sæculi nequam.

---

Est

---

\* Vid. II. Decembris Napue.



Nam

Omnibus ex signis est mundus fatuus\* ignis

Sic esse, ex ovo, te quoque teste probo.

Sin ita? quid demum: tutum pete littus Eremum

Hic est tuta quies, hic sine nube dies.

Ocyùs aspectu hinc te è Mundi proripe fletu

Huc, cursu celeres antevolando capras.

Hic DEUS, hic portus, virtutum hic floridus  
hortus;

Hic sunt deliciae corporis, ac animae.

Ergò carpe viam in Ductricem assume MARIAM

*Felix hinc vadit, qui capit hæc, & agit.*

CHRISTUS.

Nunc quod ultrà desiderium tuum?


BRUNO.

*Domine, ut videam, sciam, & velim Ss. beneplacitum tuum, cui me amore tui totum in omnibus, per omnia, & ad omnia resigno; prout tibi placuerit. En tuus sum totus. Volo, quod vis; nolo, quod non vis. Suscipe ergò universam libertatem meam, memoriam intellectum, & voluntatem omnem; quidquid sum, & habeo. Amorem tui solùm cum gratia tua mihi dones, oro; aliud ultra non posco. Hoc dulci Christi alloquio inardescit Bruno in spiritu, & arreptâ cruce, sic eum affatur:*

*Ardens*

\* Necessitate.





*Ardens Affectus*

SANCTI BRUNONIS

AD

*Crucifixum, quem manugerit.*

**D**um Te contemplor pro me Crucifixe Redemptor,

Ah! quam confundor disparitate meâ!

In Cruce Tu nudus pendes spes unica mundi,

Et tuus hic servus deêrit amore *Crucis*?

Nempe erit eximius *Crucis*? hæc, cui jure debetur;

Et Dominus vitæ pessima quæque luet?

O! pudor! O! amor! (hic resonet super æthera clamor)

Est amor, & pudor hîc; hic meus ille tuus.

Est pudor iste meus, quia non sum flebilis Acis,

Est & amor tuus hic, dum nova tela Jacis,

Tela jacis, tantos in me jactando favores!

Nec tamen ardebo, totus amore tui?

Non sic! Ah non sic! cadet unâ victima tecum

Bruno; ut ubi est Dûs, sit quôq; servus ibi.

Pendulus ex alto, tu Mundo nunc valedicis

*Expirans; Felix! qui facit ista citò!*



*Hic Sanctus Mundo valedicit Bruno secundo.*

Justiniane vale! nolo tuus esse Sodalis  
 Nec tua senſa libet, perfide Munde ſequi.  
 Diſſipit, im̄undi qui quærit gaudia Mundi,  
 CHRISTUM, qui ſolum diligit, ille ſapit.  
 Omnia quæ Mundus jaçtat, ſunt ſomnìa vanalla  
 Flos marcens, pernix aura, levifque cinis  
 Munera dum præbet, triſtiſſima funera cudit  
 Fellea ſub dolci melle venena tegit.  
 Ad nova ſum̄orum dum culmina tollit honorũ  
 In terram caſu mox graviore trahit.  
 Dum placidã roſeos oſtentat fronte colores,  
 Abdita pro cordis vulnere ſpina latet.  
 Sint procul ergò vaſtri ludibria ſplendida mundi  
 Divitiæ, tituli, gloria, pompa, Joci.  
 Sat mihi luſerunt, plures non expeto ludos,  
 Nam luçtũs ludos hos variare ſolet.  
 Obſequiõ meliore tibi me tradere mens eſt,  
 Namq; ſequi ſum̄um, eſt gloria ſum̄a, DEUM.  
 Tu JESU mihi ſolus eris, mea vita, meum cor,  
 Et deſiderij meta, ſcopuſque mei.  
 Tu caput inclinas, ut dulcia baſia figas;  
 Ut des amplexus, tendis utrãmq; manum.  
 Ut pandas imum Divinum Cordis amorem  
 Altum perfoſſo pectore vulnus hiat.

Hæc



Hæc oculis videâ, memoriq; hæc mēte revolvâ,  
 Nec mea, mi JESU, corda resolvat amor?  
*Bonitas! Bonitas!* CHRISTI pendentis in alto,  
 Ex nunc sis altâ mente repôsta mihi.  
 JESUS unus erit votorum meta meorum;  
 Ille mihi fatis est; perfide Munde *vale*.  
 Ille meas castis fibras ardoribus implet,  
 Et desiderijs sufficit ille meis.  
 Juro fidei, mēque illi consecro totum,  
 Hinc dico æternum jam tibi Munde *vale*.  
 Tu mea sis ergo posthac Crux Regula prima,  
 Et tua, Salvator, da mihi Jussa sequi.  
 Te Duce, te Comite, & te solo vota juvante,  
 Mi JESU, dulce est vivere, dulce mori.  
 Mens tua me sanctos animosum reddat ad ausus,  
 Déque tuo veniat corpore firma salus.  
 Me recreet multo pro manans vulnere sanguis,  
 Quæque fluit sacro pectore lymphæ lavet.  
 Dein vires reddant animo, Crux, Lancea, Clavi,  
 Quæque in sons pateris, vincula, flagra, rubi.  
 Annue, quæso, meis, JESU mitissime, votis,  
 Vulnera, factutum, dent mihi quina locum.  
 te nè possim vel vi, vel fraude revelli,  
 Nec doemon de me parta trophæa ferat.  
 Deniq; cum miseræ mors rumpet stamina vitæ,  
 Ad te me placidâ voce venire jube!  
 Et tibi perpetuas possim de promere laudes;  
 Et cum sidereis te celebrare choris.



## M O X

Factâ ad peccatores Apostrophe  
in abstinatos eorum animos acriter invehitur,  
eôsque ad faciendos dignos fructus Pœnitentiæ  
exstimulat.

*Igniculus Quartus.*

**O** Sontes animæ, peccati pondere pressæ!  
Quis vos prognatus de styge turbo rotat?  
Siccine fatali, dum pendet in arbore Christus  
Atque ejus constat sanguine vestra salus;  
Vos sacrum audetis petulanti calce cruorem  
Proterere, & rabidâ tela vibrare manu?  
Siccine probroso dum perdit funere vitam,  
Ut vos Tartarei liberet igne lacûs!  
Nequaquam æternâ dubitatis morte perire,  
Sulphureôsque stygis sponte subire rogos?  
En totum rubeo conspersum sanguine corpus,  
Plenáque vulneribus membra, rubísq; caput!  
Hæc animos moveat Christi patientis imago,  
Et moveat tanti causa doloris, amor.  
Non etenim fixus validis in stipite clavis,  
Sed solùm vestri fixus amore manet.  
O! duras animas! Hunc si spectatis amorem,  
Vestrâq; nec minimus pectora tangit amor!



Ferrea gens! lacero si vulnera corpore cernis,  
Et nullum *Sensum* compatientis habes!

Anne in Caucasæam riguerunt pectora rupem,  
Quam frustra gelidis verberat Auster aquis?

Num geritis durum circum præcordia ferrum,  
Aut rigido constant ex Adamante fibræ?

Vel forsan rabido vos pavit lacte Leæna,  
Quæque dedit nutrix ubera, Tigris erat?

En sensu natura carens tot signa doloris  
Exhibet, & Christi percita morte, gemit.

Cynthius auratas tristi sub nube quadrigas  
Occulit, & pullo, contegit ore peplo.

Marmora diffiliunt, tellus convulsa dehiscit  
Et montes, instar commiserantis, hiant.

Prostant discisso nudata altaria velo,  
Quæque tegunt umbras saxa remota jacent.

Sic summo rerum Domino natura parentat,  
Atque Authore suo cum moriente dolet.

Vestra tamen nullus percellit pectora sensus,  
Pro quibus hæc Christo mors subeunda fuit?

Ah! huc huc oculos, animos huc vertite tandè;  
Spectate, innocui tristia fata DEI.

En sacrum erecto suspensum stipite corpus!  
Membræq; , quæ proprio tincta cruore rubèt!

Et cinctum rigido veprium diademate frontem!  
Temporæque impactis perterebrata rubis!

En faciem multo calophi quæ squallet ab ictu!  
Ecce genas, per quas livida plaga tumet?



En humeros ligni fatali pondere pressos!

Tergoráque intortis dilaniata flagris!

En geminas clavis plantásq; manúsq; cavatas!

Ecce cavernoso pectore vulnus hians!

Ista dolorosi forma est ingloria Christi;

Hæc est infantis carnificina DEL.

Hanc igitur spectate oculis, animísque tenete,

Ne careat fructu passio tanta suo.

Sed dum propositos versatis mente dolores,

Corda quóque intensus fauciet ima dolor!

Dumq; admirandum Christi memoratis amoré

Vestra etiam stimulet pectora sanctus amor,

Non petit, ut bifido dirimantur pectora ferro

Aut sint Sanguineis tergora scissa flagris.

Non petit, ut clavi palmásq; pedésq; cruentent

Et tota è venis sanguinis unda fluat.

Hoc petit à vobis, hoc Christus postulat, ut sit

Saltem aliquis tanti fructus amoris, amor.

Hoc petit, ut vestras expurget crimine mentes

Sincerus vero mixtus amore dolor.

### *Igniculus V.*

In quo præscribitur.

*Praxis utilissima ad Surgendum*

*è Veterno peccati.*

i. **M**editare, ac lege ea, quæ in ipsius odium  
inducunt, & in contrariæ virtutis amo



rem. 2. Illius radices, & illecebras inquire; reperies pullulare ex impotenti affectu ad Diuitias, aut honorem, aut oblectationem; aut ad certam personam, ad vindictam, &c. 3. Solus coram Crucifixo, capita harum causarum in cartham conijce. 4. Ea perlege. tum in vocibus sensus sequentis erumpe: *En vincula mea! en tantorum mihi malorum causas; que me gratia DEI, & Cælo Exspoliant; rerum inferni, inimicorum! cum Creatoris constituunt, &c. Nuncine hæream; & honorem cælo, ac DEO æternum renunciem? Certè nunc morde hoc mihi statuendum est.* 5. Hic appetitu secluso; ratione, cum fide, & spe, Angeloque Custode adscitis: rationes ultrò, citròque, hinc quæ à DEO, indè quæ à vitio stant, conscribe distinctè. 6. Relectarum pondus librato, & utrinque confer; quovè præponderat ratio, voluntatem flecte. 7. Si DEI amor prævaluerit, suggerens illud: *Absit à nobis, ut relinquamus Dominum, & Serviamus Dijs alienis; serviemus Domino, quia ipse est DEUS noster, &c.* è vestigio ad Crucifixi pedes provolutus, deprecare, erumpens in Psal. *Miserere mei Deus, &c.* Tum rationes pro vitio in detestationem cultello invade, punge, discinde, auctòque odio minutim dilacera. 8. Sin tuæ te cupiditates abripiant: finge alium hujus peccati amantem, exosculatâ illarum rationum carthâ, Crucifixo




terga vertentem, blasphemè abrenunciantem DEO, Christi que morti, ac meritis, ejusque sanguinè proculcare paratam. Tùm hæc horrens in te convertere: *Tu ille es tantis ingratus beneficijs! Matre Misericordiæ, Sanctis, & Angelis amarè deflentibus, & pro te ad tribunal Misericordiæ provolutis, &c. Absit, &c.* Hinc de nuò rationes excute; ac seriò tandem poenitens, ad Crucifixum provolutus, age ut supra puncto 7. Vel cum Joan. Berchmano S. J. constituto in agone contra tentationem; *Non faciam; Ego ut offendam te Domine? Maria, ego nunquam offendam Filium tuum. Absit à me. Non faciam. Malo millies mori; decies millies; centies millies; millies millies.* Hîc etiam ferviunt formulæ Actuum Contritionis, quas passim reperies. Ac tandem infamium rationum cartam igni devove. Dum ardet, memento illud: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante! quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis!* Isai. 33. Tùm indignatus tuæ vivendi licentiæ, dic: *Ite ergo, Ite pessum factæ voluptates, &c.*

Extremùm difficultatibus nonnullis occurrendum erit. 1. Deridebunt te, & abstrahere conabuntur filij sæculi; sed hos alta quædam despicientia vincet. 2. Dicent *ardua esse*, ad quæ vocaris, horrere sentibus; His eludes:



*Jugum meum suave est, & onus meum leve.*  
 Marth. 2. Et è contra: *Lassati sumus in via ini-*  
*quitate; ambulavimus vias difficiles,* Sap. 5. 3.  
 Dicent tetricam, & melancholicam esse eam vi-  
 tam; hic tu: *Secura mens quasi iuge convivium,*  
 Prov. 15. *Justitia Domini recte latificantes corda,*  
 Psal. 18. *Vox exultationis & salutis in tabernacu-*  
*lis justorum,* Psal. 117. Et è contra: *Multa sunt*  
*flagella peccatoris.* Psal. 31. 4. Dicent *periculo-*  
*sum esse,* ne cœpto desistas; ideo solitudine  
 macerandum, & nihilominus recidivam pas-  
 surum; oppones, *ad Philip. 1. 2. Confide hoc ip-*  
*sum, quia qui cepit in te bonum, perficiet usque*  
*in diem JESU CHRISTI.*

 Ad auspiciandam vitam devotam, & ali-  
 quem in ea progressum faciendum, ab Animæ  
 purgatione incipe præmittendo seriam pecca-  
 torum Confessionem: in quem finem per ali-  
 quot dies *Philotheam S. Francisci Salesij, p. 1. c. 5.*  
 & reliqua 19. capita. Item 1. Hebdomadam Exer-  
 cit. S. Ignatij (quæ cum animam à peccatis,  
 perpurget; Via purgativa vocatur.) Sensatè  
 commentando practicabis. ORATIO.

*Contra Cogitationes malas ex Th. Kemp. l. 3. c. 23.*  
 Lectio spiritualis. Pax animi quomodò acqui-  
 ritur Th. Kemp. l. 1. c. 11. c. 6. 14. & 25. Item  
 lib. 2. c. 2. Item lib. 3. c. 23. 24. 25. 28.





## Igniculus VI.

Candidus ex adverso stans S. Brunonis Invektivâ  
*in peccatores, praxique resipiscendi bene intel-*  
*lectâ; Christi de Cruce pendentis aspectu com-*  
*punctus Crucem amplectitur, supplex suspirat,*  
*ac verum cordis dolorem, & amorem petit.*

1. **A** Moris ô incendium,  
 O Christe vir *dolorum!*

Arctæ viæ compendium,  
 O Christe Rex *amorum!*

2. O Christe mi, tu suggere  
 Cordi meo *dolorem,*  
 Novâsque flammâs aggere:  
 Ut his alas *amorem.*

3. Dolor meus fit maximi  
 Amoris ut Minister:  
 Amor tuus sit intimi  
 Doloris ut Magister.

4. Da vulnus ergò Supplici  
 Amoris, & Doloris:  
 Cor ure flammâ duplici  
 Doloris, & amoris.

5. Magni Doloris malleo  
 Totum cor atteratur:  
 Sic felleo, sic melleo  
 Amore conteratur.



6. Doloris artes tunc amor

Cor conterens docebit,

Amoris arte cùm dolor

Deo magis placebit.

7. Ah! parce, quod deliquerim!

Ah! parce jam dolenti!

Quòd te DEUM reliquerim,

Ignosce pœnienti!

8. O Vulnerata charitas

Doloris in *aratro*!

O Artifex Æternitas

Amoris in *theatro*!

9. Per ista Sacra vulnera,

Et sanguinem fluentem

Rogo cor meum vulnera

Absolve pœnitentem.

### §. I.

**S**ic dolore plenus, & amore crucem cum S. An-  
drea, Apostolo exosculans se ad ardua quæque  
amore Christi de Cruce pendentis fortiter perferen-  
da resolvit dicens:

O! Bona Crux salve! multos quæsitâ per annos  
Brunonis tandem suscipe Discipulum.

In te Sola salus, sunt impia gaudia mundi,

Hanc ego Complector naufragus ergò sca-  
pham.



Ex nunc pande Sinum, mihi *turatis, anchora,*  
*remus,*

Tu *Zephyrus, malus, carbasa, portus* eris.

§. II.

*Instat Bonus Genius.*

**L**Iquescis, ut video, animo, *Candide.*  
Quid ergo tardas ipsum, quem concepisti  
spiritum salutis parturire? nil mortalibus vel  
morte certius, vel incertius hora mortis.  
Quommodo vivere potes, ubi mori non au-  
des, Lubrica spes, quæ inter Fomenta peccati  
salvari te posse sperat! incerta Victoria inter  
hostilia arma pugnare! impossibilis liberatio,  
flammis circumdari, nec ardere! qui prope  
Sodomam habitaverant, igneos imbres effuge-  
gere non potuerunt. Periclitatur *Castitas* in  
delicijs, *humilitas* in divitijs, *pietas* in negotijs,  
*veritas* in multiloquijs, *charitas* in seculo ne-  
quam. Dæmoni nè fidas. Si teneram ætatem  
prætendat, aut alia negotia in antecessum ex-  
pedienda suadet, hostes imitatur, qui inducias  
petunt, ut collectis maturè viribus certius fe-  
riant. Plerique hoc ipsò malè DEO serviunt,  
quòd serò & cunctando serviant. Rectissime  
omnium illi, qui rejectis mundi & carnis ra-  
tionibus statim ab adolescentia Domini jugum  
portare didicerunt. Age, & citò exequere

quod



quod lentè statuisti. Ab ore *gehennæ* eriperis, & *inducias* petis? Fuit ignis absconditus in sinu tuo, & exusto jam latere adhuc deliberas, nùm excutere velis? Festina, quælo te, & hærenti in *salo* naviculæ (*ut jam alibi monui*) funem magis præscinde, quàm solve. Quamdiu extra portum est, in periculo est. Nulla fatis magna securitas, ubi periclitatur æternitas. Audivisti nuper Christum de cruce ad Brunonem.

*Felix hinc vadit, qui capit hæc, & agit!*

*Si sapias actutum, tu quoque latus age.*

§. II.

**H**ic gratia DEI Excitans Mundi *Amatorem* hæc spectantem, & audientem vellicat, ei commemorando compunctionem *Candidi*, & vel maximè verba illa Christi de Cruce: *Felix hinc vadit, qui capit hæc, & agit*, inquires: *expergiscere! expergiscere!* & tandem moras rumpe.

ATTAMEN.



**C**Ave nè feceris temerè, aut inconsulto DEO, & Magno illo Spirituum Discretore S. Ignatio, cujus *aureum libellum Exer.* ac præfertim *Contemplationes de Regno JESU Christi*; de duobus *Vexillis*; de tribus *Classibus hominum*, & tribus gradibus *humilitatis*. Denique octo *Regulas* utiles ad pleniorum Spirituum discretionem, omninò per aliquot dies (*Si non menses, & annos*) Singulari studiovolvenda & revolvenda tibi suadeo.





# MODUS DELIBERANDI An DE VITÆ STATU. nixtæ

1. **E**Xpendes accuratè, quem ob fines Quæ  
lib à DEO conditus fueris; nempe ut per ausas  
 laudem, reverentiam, ac servitium divinæ moda,  
 Majestati exhibendum tandem salvus fias. vires a
2. Curabis, ut animum indifferentem ser um se  
 tias ad hoc, vel illud vitæ genus eligendum vetâ,  
 quodcunque divinæ Bonitati magis placere o.  
 tuæque salutis consequendæ futurum commo 5. D  
 dius perspexeris. ivorur
3. Divini luminis radium supplex postula e impo  
 bis, ne tibi Sancti Spiritûs gratia in re tanti mo ihil, c  
 menti desit; v. g. *Veni Sancte Spiritus, & emitt* Differe  
*te cœlitus lucis tuæ radium. Ah! Veni Pater Lum* lagabis  
*inum, da menti purum oculum: ut, quò me du* 6. A  
*cis, videam, & iter tutum eligam.* DEUM
4. Pones ob oculos diversa vitæ, ac statu nine q  
 genera, sic te ipsum interrogans; an ultim gra; e  
 fini consequendo, voluntati divinæ, tuisque quod ju  
 viribus tam Corporis, quàm Animæ, divin 7. R  
 gratiâ fretis conformior sit status civilis, se charta  
 Politicus? An Ecclesiasticus? & inter  
     Si Politicus;  
     An conjugij? vel Cœlibatûs?  
     si Ecclesiasticus;  
     An Sacerdotij secularis, aut Canonicatûs?



✿ (2) An Religiosus? Si Religiosus;  
 ND An vitæ Contemplativæ? an activæ? an  
 mixtæ? si contemplativa, activa, vel mixta;

finei Quenam potius in particulari & quas ob  
 eut peccatis? ubi ponderanda sunt non solum com-  
 divina moda, sed & incommoda propositi statûs: item  
 ias. vires animæ & Corporis, non tantum secun-  
 m ferum seipsas, sed etiam ut ordinariâ & Con-  
 ndum metâ, vel certè firmiter speratâ gratiâ roborâ-  
 lacere.

ommo  
 ostula 5. Duas rationum classes facies, unam mo-  
 ti mo- ivorum ad hunc potius, quàm illum statum  
 emitt impellentium; alteram retrahentium. Ubi  
 Lum nihil, quod revera sentit animus, omittes.  
 me du Differentiam, quoad poteris, prævidebis, in-  
 lagabis, ponderabis, &c.

atuu DEUM elevabis per hujusmodi suspiria: Do-  
 ultim nine quid me vis facere? in manu tua sum,  
 uifqu- tra; & reversa me per circuitum. Domine, da  
 divin quod jubes; & jube; quod vis.

s, se 7. Rationes utriusquæ partis in separata  
 charta annotatas identidem animô revolves,  
 & interea quò te magis tranquillâ mente tra-  
 hi experieris; velut auscultans, quid in te lo-  
 quatur Dominus, observabis.



8. Si ex hæctenus factò ratiocinio deter-  
minatè te in unam partem resolvere possis-  
tati sup  
resolutionem totam divinæ Majestati supple  
offeres. Nullum tamen votum emittet. Ago tibi  
missima

9. Si necdum resolvere te poteris, divinam  
opem iterùm, atque iterùm implorabis: v. *Patris  
Domine DEUS virtutum, cuius est totum, quod  
est optimum; qui scrutaris renes; & corda  
cui perspecta virtus & infirmitas mea, corporis  
tum animæ; deduc me in portum voluntatis  
tuæ; ut id vitæ genus tandem eligam & am-  
plectar, quod & mihi magis proficuum fuerit  
& magis honorificum tibi.* 13. Electi  
scientia

10. His peractis ubi te penitèns resolveris  
vel etiamnum hæsitaveris, rogabis te ipsum  
quid, si nunc mortis articulus immineret? qui-  
si supremo Judici sistendus esses? quid si con-  
siliium hac in re alteri dandum? quid tum tu  
elegisse optares? quid consilij dares, & quod  
tunc tibi electum velles vel alteri suaderes, ip-  
se nunc eliges, ipse tibi suadebis. 1. 2. 6. Ta

11. Rationes, de quibus supra n. 5. & 7. can-  
didè ac fideliter, nullâ re quæ animum infederit  
per verecundiam celatâ, communicabis Patri  
spirituali, viarum istiusmodi gnaro, ac puri-  
tuam salutem, & commodum spectanti, un-  
rogans, ut ipse quòque tuam electionem & ele-  
ctionis executionem DEO commendet.



12. Conclusionem ita factam Divinæ Maje-  
 statati supplex offeres, ut supra n. 8. dictum. v. g.  
 Ago tibi gratias, Omnipotens DEUS, pro beni-  
 missima tua manu mihi inter sacrum & saxum  
 parenti porrectâ. Suscipe voluntatem hujus de-  
 siderij mei in sinum beneplaciti sui. Cui dedisti  
 quæpete, da quòque perficere. Infunde cordi meo  
 inviolabilem tuæ charitatis affectum, ut deside-  
 ria de tua inspiratione concepta nullâ possint ten-  
 tatione mutari. Per Dominum, &c.

13. Quidquid demum elegeris felicem ejus  
 Electi executionem præcipuè à puritate con-  
 scientiæ, spiritu orationis, & piâ frequentatio-  
 ne sacramentorum, ac mysteriorum DEI pen-  
 dere cogitabis: ideòque te in horum cura so-  
 lertem, & constantem exhibebis. Videri po-  
 test Anton. Sucquet in via vitæ æternæ L. 1. c. 3.  
 l. 2. c. 1. Lessius de vitæ statu eligendo Q. 4.  
 6. Tannerus tom. 3. d. 6. q. 3. dub. 5.







# SPECULUM STATUS

## *Religiosi, & Mundani.*

In Religione homo.

Vivit purius.  
 Cadit rariùs.  
 Surgit velociùs.  
 Incedit cautiùs.  
 Purgatur citiùs.  
 Irroratur frequèti⁹.  
 Quiescit securiùs.  
 Moritur confidèti⁹.  
 Remuneratur copi-  
 osiùs.

Quia in Mundo.

Imunda sunt omnia.  
 Ruina frequens.  
 Tarda resurrectio.  
 Incauta cōversatio.  
 Crebra inquietudo.  
 Rara irroratio.  
 Periculosa quies.  
 Mors expavesceda.  
 Et post hæc omnia,  
 miserabilis laborū  
 omnium compēsatio.

## PRECES PRO ELIGENDO

VITÆ STATU.

*Oratio ad DEUM pro divina  
 agnoscenda Vocatione.*

**O**Mnipotens æterne DEUS, qui hominem  
 ideo creasti, ut tuam hic adimplens vo-  
 luntatem, regni cœlestis coronam jugi virtutū  
 studio acquireret, ac tecum in ævum postmo-  
 dum regnaret; ego qui creatura tua sum li-  
 bens admodum adhunc creationis meæ finem  
 pertingerem. Unde, quandoquidem in sancta  
 tua Ecclesia varia sunt benè, beatèque vivendi  
 gene-



**I**S generasquæ, licet diversimodè, ad cœlum perducant; obsecro te ex intimis præcordijs meis, indica mihi voluntatem tuam, meque ad istud vitæ genus evoca, in quo salvari commodius valeam, tibi que quàm optimè famulari. Tui namque solius muneris est vocare, ac mortaliū quémque ad certum vitæ statum destinare. *Ex Myrothecio Select. Prec. R. P. Franc. Costeri.*

## CAPUT II.

## De varijs Incentivis pietatis.

*Incentivum I.*

Auspice Carthusiæ quisquis, Brunone, beatam.

Expectas vitam; *Sæpè memento mori.*

**C**andide, quem ratio, & fides manuducit, dic, amabo, dic, sed *candidè*. Si suprema tibi dies hâc hebdomade futura certò intelceret, nunquid non afflictissimè dolens cruciareris, tam miserè tot horas perditas, tot protù degisse dies tot annos turpiter projectos, quibus scilicet de cœlo comparatum nihil, de salute procuratum minùs. Quid actum igitur? hætenus comestum, bibitum, dormitum. Quid præterea? cachinatum, tripudiatum, vita in delicijs, ac pompa producta. Quid item? cogita-







que non benè agitur, quod non nisi semel agitur. *Semel tantum moriendum est.* Error qui in morte committitur, irreparabilis est. Actor in theatro malè agit *personam* suam, si non frequentius se antè exercuit. Advocatus malè agit *causam*, cui evincendæ se von priùs paravit. Heu! quàm periculosum est errare, quando error est sine remedio, & pœna subsequens sine fine. Ut discas benè mori, exemplo *Sancti Brunonis* discas mori à morte. *Mors* separat animam à corpore: & licet amara sit, violentiam tamen inferre non potest, nisi nimis tenacitè *mundo*, aut creatis inhærenti, nullo vitioso affectu adhæsit illi *Bruno*; hinc suavissimè obdormivit in Domino. Mortuus est sine tristitia, quia vixit sine adhæsione ad creaturas, Mortuus est sine Dolore, quia vixit sine peccato. Jucundum est mori illis, quos vivere non delectat. Anima sine dolore, migrat è domicilio, quod nunquam libenter incoluit. Acceptabile est divortium illis, qui se mutuo non amant. Mors adimit omnia fortunæ bona. Id ne sine questu accideret *Brunoni*, in tempore præoccupavit mortem: dividebat cum indigentibus, & thesauros præmittebat in cœlum, ubi perpetuâ eorum usurâ erat futurus. Mors vitæ, & gratiæ tempus claudit. Certabat cum velocissimo *Bruno*; quod si-



stere non poterat, in cursu intercipiebat tem-  
pus. Usurpabat de illo, quidquid concessum  
erat: transigebat diem omnem ut ultimam  
horam omnem, ut supremam. Sic disce, *Car-*  
*dide* mori. Negotium negotiorum summum

Lucra in eo, damnâque vertuntur æterni

Lectio Spiritualis, *Ex pharetra divini Am-*  
*ris Jaannis Lanspergij.*

*Institutio succincta cum Exercitio pro felici*  
*morte per 7. §§. Potest qualibet die per septi-*  
*manam unus §. legi.*

§. 2.

*D. Dionysij Carthusiani, de Judiciis mortis, & variis*  
*eiusdem casibus,*

E L E G I A.

**O**Rtum quæque suum repetunt, terramque  
sequuntur.

*Flos fluit, umbra fugit, omnia nata cadunt*

Nil reputo longum, dubius quod terminus angustis

*Craftina fortè dies, est mihi sola dies.*

Est brevis illa dies hodie: quâ fortè dierum

Est mihi meta dies: heu metuenda dies!

Atque horrenda dies! quia tunc mihi metum

merendi

Clauditur: illa dies, lætane? dira dies!

Proh! quicumque dies sibi longos æstimat, errat

Nulli est tota dies, vivere tuta dies.

Frustra

Frustr  
Cu  
Ut pl  
Ex  
Mille  
Co  
Sed su  
Op  
Aspic  
Qu  
Ergo  
Vi

TE  
mina  
vita.  
testa  
lica,  
ferico  
3. A  
pulch  
DEI  
DEU

\* B



Frustra dico dies, fit mentio nulla dierum,  
 Cum stet nulla dies, una, nec hora quies,  
 Ut placet, in longum vitæ spem temporis auge,  
 Ex inhilo nihilum mox erit, atque nihil.  
 Mille fûere viri, milleni, millia mille,  
 Corpus humo putruit, nomine *fama* caret:  
 Sed superest meritis mercedem sumere dignam,  
 Optima pro meritis, & vitiosa pati.  
 Aspice iudicium metuendum iudice tanto,  
 Qui notat; & veniet illa tremenda dies.  
 Ergo time, metue, \* te construe, dirige mentem  
 Vive mori præstò, debita ferre para.

§ III.

*Quotidiana preparatio ad bonam mortem.*

**T**emporibus certis, ut *manè*, aut *vespere* ad  
*Ave Maria*, vel ante *somnum*, &c. Exa-  
 mina te an sis dispositus ad transitum ex hac  
 vita. Tum forma sequentes actus. 1. *Fidei*, pro-  
 testans velle te mori in, & pro doctrina Catho-  
 lica, & recita *Credo*. 2. *Spei* salutis, intuitu mi-  
 sericordiæ infinitæ, & pretij sanguinis Christi.  
 3. *Amoris*, complacendo de infinita DEI  
 pulchritudine, & perfectione; *offendo* te ad  
 DEI placitum in omnibus, desiderando ut  
 DEUS ab omnibus agnoscat, & æstimetur  
 D 3 super

---

\* *Beneficiò Casura, long: naturâ brevis,*



super omnia. 4. *Contritionis*, peccata detestando super omnia, ob DEI offensam, & injuriam per transgressionem juris divini, vilipensionemque auctoritatis, & honoris DEI, statuendo firmiter, nunquam amplius peccare. 5. *Propositi* confitendi, & satisfaciendum communicandi, & utendi alijs remedijs, ad præservandum se à peccatis, Sanctæque vivendi. 6. *Desiderij* vitæ æternæ fruendi DEO & JESU, ac Beatissimæ Virginis, Sanctorumque consortio.

## *Incentivum II.*

### *In certa dies mortis.*

Quare singulis saltem mensibus semel te ad Sanctam mortem præpara, ut monet Christus. Luc. 12. v. 40. *Estote parati! quia &c.*

Hoc simpliciter omnium maximum, difficillimum, pondorosissimum negotium est. *Male moreris*: error per omnem æternitatem inemendabilis est: *Non est correctio errori: perijsse semel æternum est.*

S. Bruno olim, ut ad mortem sanctam præparet sese, solitudinem elegit, tu quóque illius exemplo te quandóque in mense à publico retrahe, & in privato Conclavi, aut Ecclesia dimissâ omni aliâ mentis, Corporisue attentio-



de te. & in-  
vill-  
DEI  
ecca-  
endi  
edijs  
ne vi-  
DEO  
rum-  
e ad  
Chri-  
c.  
diffi-  
est.  
tem  
ori:  
ræ-  
lius  
re-  
di-  
io-  
ne

ne coram Christo Crucifixo genuflexus se-  
quentes veritates Considera.

1. Cogita moriturum te, nec multo post?  
& incertum an non ante mensem decursum.

2. Dimissurum te universa, quæ possides in  
mundo honores, delicias, opes: nihil in vitam  
alteram deportaturum præter Conscientiæ re-  
morsum, bona opera, & commissa delicta.

3. *Corpus* per angustias, & dolores mor-  
tis spoliatum animâ mox involvendum fore  
per exiguo linteo, contegendum ligno putri,  
reponendum inter Sorices, & talpas in terræ  
brevis loculo, depascendum â vermibus, re-  
solvendum in pulverem, non superfuturam  
apud viventes, nisi forte brevi momento, aut  
paucorum dierum morâ tui memoriam.

4. Felicem fore *animam* tuam, si sub arti-  
culo mortis deprehendatur in gratia DEI, sine  
peccato mortali: infelicissimam, si tam infau-  
sto crimine notatam. Inde aut assumendam  
in coelum, aut præcipitandam ad infernum sta-  
tionem utramque æternam fore. Quibus per-  
pensis universa hæc instare tibi præ januis in-  
tellige, & *Christi* de Cruce pendentis *Effigie*  
in manus sumptâ dic amanter, dic ferventer:



## ORATIO.

**M**isericordissime JESU, fiducia, & robur meum! cui credo, in quem spero, quem amo, & amabo, dum vivam. Protende ex cruce, & da manum morituro tandem: fac innoxus brachio virtutis tuæ transeam securus, ac felix de vita in mortem.

Confiteor coram toto universo vitam egisse me refertam peccatis: de quibus amarissima me nunc tangit pœnitudo. Confido in infinita tua bonitate: mihi clementissimè, ut spero, condonabis offensas omnes; nec permittes in perditionem ire hanc animam, pro qua pretiosum Sanguinem in ara crucis profudisti. Fierinè possit, amabilissime JESU, ut tibi inhaeream, & repellar? Caro de carne tua sum, & os de ossibus tuis: filius indignus Patris, ac Matris tuæ ego sum, & me fratrem tuum compellare dignaris. Mi JESU humanitatis meæ consors facte, ut divinitatem mihi communicares! nunc in morte à Leone rugiente, & quærente animam meam erue me. Exosculor Sacratissimum latus, unicum fontem salutis meæ! Reclude fluenta aqua, & sanguinis, & maculas elue animæ meæ. Adoro manus pro me ligno crucis confixas; per has creatus sum, per has redemptus sum, in has commendo spiritum meum. Revereor plagas Sanctissimas, in his abscondar, sub his protegar, donec ira justi



Judicis pertranseat. *Miserere Pater misericordiarum! memento satisfactionis copiosæ, quam obtulit unigenitus tuus in ara crucis pro delictis meis! Domine JESU! fac, ut pretium Sacratissimi tui sanguinis proficiat animæ meæ! Divissime Spiritus, per gratiam tuam conforta me! in agone meo protege me! Virgo Mater Clementiæ innumeris in me collatis pridem beneficijs hoc momento adde gratiam opportunam salutis meæ! Archangele Michaël destinate ad representandas animas divino Judicio, contra inimici insidias tuere me, & in clientelam tuam suscipe spiritum meum! Angele mi custos, fidelissime per omnem vitam Achaetes, in articulo mortis ne desere me. Omnes Sancti, & Sanctæ DEI adeste in auxilium mihi, ut discendens à mundo vobiscum in cælo conjunctus Creatorem & DEUM unâ voce in sæcula collaudem.*

### Incentivum III.

*Exercitium Pœnitentiæ non differendum usque ad mortem.*

#### I.

**E**XERCITIÔ Pœnitentiæ nihil magis necessarium, & nihil eô rarius est: Plerique illud ad Cœnobia ablegant, rati, id nonnisi religiosi instituti Sectatoribus convenire. An igitur pœnæ debentur insontibus potius, quàm nocentibus?



bus? illi qui in religioso vivunt ordine, ultra molli  
 pœnitentiæ exercitiū non rarò in se suscipiunt merc  
 cum ii, qui prophana tractant, pœnitentiæ (separa  
 subiicere obligentur. Alij sibi imaginantur nibus  
 pœnitentiam nullis, nisi gravium flagitiorum quæ se  
 reis esse necessariam; at paucos in mundo in mode  
 venire est, quibus ea non sit opus. D. Augusti imper  
 nus vir tantopere à DEO illustratus asseverat fixi in  
 non esse Christianum, qui trepidare non de transi  
 beat, si mors eum opprimat pœnitentiæ prax ta in  
 non exercitum. At quid hoc pœnitentiæ exer munc  
 citium comprehendit? id ad preces aliquas re hunc  
 ducere, ut plerique homines prophani faciunt sensu  
 est vana spe eos ducere, & decipere, eos ad je catis  
 junia etiam inusitata, & vestes cilicinas obliga Debe  
 re, est eis metum, & terrorem injicere, vel etiam unire  
 ad desperationem adigere. Ut proin eorum cœle  
 nos imbecillitati accommodemus, neque ta suppl  
 men eorum mollitiem foveamus, pœnitentiæ bet p  
 exercitium eis proponimus, quod omnis gene miser  
 ris hominibus, cujuscunque conditionis, sexûs, eleër  
 & ætatis sint, congruere queat. lectil

II. Homo, qui sæculi vanitatibus deditus dole  
 fuit, nunc verò à DEO permotus pœnitentiæ pœn  
 agenda desiderio tenetur, ut suppleat defectum tem  
 austeritatum, quæ pœnitentiam comitari so pœn  
 lent; & à quibus amplectendis impeditur, vel II  
 à sua conditione, vel à sua imbecillitate, vel peni  
 mol-



ultra mollitie, debet. 1. *Se à mundo*, cujus compium mercium ei tam funestum fuit, aliquantisper atia separare, omnibus prorsus periculosis visitationibus sibi interdictis, earum aliquam partem, orum quæ solius sunt urbanitatis, rescindere, & alias do in moderari. Tempus, quod hisce visitationibus gusti impendere solebat, vel coram Christi Cruci afferat fixi imagine, vel coram Sanctissima Eucharistia n de transigere debet, ad recogitandos cum Propheprax ta in amaritudine animæ suæ annos vitæ inter exer mundi tumultus actæ? ut coram DEO gemat, as re hunc pœnitentiæ spiritum ab eo petat, animi iunt sensus concipiat, quos JESUS pœnitens, peccatis nostris perpensis, in deserto conceperat. id je Debet præterea dolorem suum tam debilem liga unire cum dolore ipsius adeò vehementi, & etiam unire cum dolore ipsius adeò vehementi, & orum cœlesti Patri offerre satisfactiones Filij ipsius ad e ta supplendos suarum defectus. 2. *Occupare se* debet per Spiritum pœnitentiæ exercitio operum ntiæ misericordiæ, & è consilio Danielis peccata sua ene. eleëmofynis redimere. 3. *Minuere* in suppelxûs, lectili, & vestimentis suis, quidquid luxum redolitus dolet, ut, cùm cilicio indutus non sit, exemplo ntiæ pœnitentium primæ Ecclesiæ; in vestibus saltem non habeat, quod modestiæ, & Spiritui tum fo. pœnitentiæ adversetur.

III. 4. Per Spiritum pœnitentiæ renunciare vel penitus debet omnibus periculosis animi rela-



xationibus; quales sunt choreæ, spectacula, sibi que subtrahere potissimam quoque innocentium oblectationum partem: quia multas earum sibi permisit, quæ in fontes non erant. 5. *Vitare immoderatas* in alimentis delicias. 6. *Per Spiritum Pœnitentiæ* submittere se cunctis obligationibus asperis, & laboriosis conditioni suæ annexis. 7. *E Consilio* Directoris sui vivendæ methodum sibi præscribere, quam exactissime fervet, ad expiandam justò solutiorem vitæ rationem, qua vixit hæctenus non nisi è naturæ impulsu agens, nullique se submittere volens. 8. *Labori, vel operi vacare*, ut se decreto subiciat justitiæ divinæ, quæ hominem, ut primùm peccati reum se fecit, ad laborem condemnavit. 9. *Seipsum, & nativas* corporis infirmitates, naturæ suæ inæqualitates, conscientiæ angores, animi molestias, pœnas interiores, quibus DEUS nos affligit, lubenti animo tolerare; cùm æquû sit, ut nobis oneri simus, quia DEO nos opposuimus. 10. *Libenter se* cruci submittere, quæ nobis obvenit, vel ab *injustitia* creaturarum, vel à *justitia* Creatoris, qui rebus creatis ad nos affligendos utitur, & cum Propheta dicere: *Peccavi Domine, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi.*

*In quocunque statu vivas hæc praxi uti statue, quæ toti mundo convenit.*

Pecca-



Peccavimus, iniquè egimus - - - Omnia ergo, quæ induxisti super nos in vero iudicio fecisti. *Dan. 3. 29.*

Divina Bonitas maximè irascitur in hoc sæculo, ne irascatur in futuro. *Aug.*

### *Incentivum IV.*

## Epistola B. BRUNONIS

*Quam scripsit ex Eremito Calabriae ad Radulphum Viridem Ecclesiae Remensis Præpositum in qua eum ad contemptum mundi, vitam Eremiticam, contemplativamque; insuper, & ad voti ab ipso emissi, impletionem exhortatur.*

*Domino suo venerando Radulpho*

*Remensi Præposito sincerissimæ charitatis cultu observando,*

## BRUNO SALUTEM.

**V**Eteris approbatæ amicitiaë fides, eò præclarior, & laude ampliori dignior in te conspicitur, quò rarior apud homines reperitur. Quanquam enim longo terrarum tractu, & prolixiore temporis spatio corpora ab invicem sejuncta sint, animus tamen benevolentiaë tuæ ab amico avelli non potuit. Quod quidem litteris tuis suavissimis (in quibus mihi amicè blanditus es) nec non beneficijs non solùm mihi, verùm etiam fratri Ber-



Bernardo causâ nostri largè impensis, alijsque  
 indicijs nonnullis satis ostensum est. Unde  
 grates non quidem meritis pares, sed tamen  
 ex puro fonte manantes benignitati tuæ re-  
 pendimus. Peregrinum quemdam in alijs le-  
 gationibus satis fidelem cum litteris ad te du-  
 dum direximus, sed huc usque non comparet.  
 Dignum judicavimus unum ex nostris chari-  
 tati tuæ transmittere, qui omnia, quæ circa nos  
 sunt (quia minùs ad hæc calamo, & atramen-  
 to sufficimus) copiosius vivâ voce prosequa-  
 tur. Notificamus ergo *Dilectioni* tuæ, quo-  
 niam id tibi non ingratum putamus, nos cor-  
 pore (utinam sic mente!) valere, & quæ ad  
 exteriora pertinent, satis esse pro voto. Ve-  
 rùm etiam opperior supplicans divinæ miseri-  
 cordiæ manum, quæ omnes inferiores *sanet in-  
 firmitates meas, & satiet in bonis desiderium  
 meum.* In finibus autem Calabriæ cum Fra-  
 tribus Religiosis, & aliquot benè eruditis (qui  
 in excubijs persistentes divinis, expectant redi-  
 tum Domini sui, ut cùm pulsaverit, confestim  
 aperiant ei) Eremum incolo, ab hominum ha-  
 bitatione satis undique remotam. De cujus  
 amœnitate, aërisque temperie, & fospitate, vel  
 planicie ampla, & grata inter montes in lon-  
 gum porrecta, ubi sunt virentia prata, & flori-  
 da pascua, quid dignum dicam? aut collium



Unde quævisque se leniter erigentium prospectum, opa-  
 carumque vallium recessum cum amabili flumi-  
 num, rivorum, fontiumque copia, quis suffi-  
 cienter explicet? nec irrigui defunt horti, di-  
 versarumque arborum fertilitas. Verum quid  
 his diutiùs immoror? alia quippe sunt oblecta-  
 menta gratiora, & utiliora valde, quia divina,  
 verum tamen arctiori disciplina, studiis que spi-  
 ritualibus animus infirmior fatigatus, sæpiùs  
 his sublevatur, ac respirat. Arcus enim si assi-  
 duè sit tensus remissior est, & minùs ad officium  
 aptus. Quid verò solitudo, Eremique silen-  
 tium amatoribus suis utilitatis, jucunditatisque  
 conferat, norunt hi solùm, qui experti sunt.  
 Hic namque viris strenuis tam redire in se li-  
 cet, quàm libet; & habitare secum, virtutumque  
 germina instanter excolere, atque Paradisi  
 feliciter fructibus uti. Hic oculus ille conqui-  
 ritur, cujus sereno intuitu vulneratur sponsus  
 amore, quo mundo, & puro conspicitur DEUS.  
 Hic otium celebratur negotiosum, & in quiete  
 pausat actione. Hic pro certaminis labore  
 repensat DEUS athletis his mercedem optatam  
 pacem videlicet, quam mundus ignorat, &  
 gaudium in Spiritu sancto. Hæc est illa Rachel  
 formosa, pulchra aspectu à Jacob plus dilecta,  
 licet minùs filiorum ferax, quàm Lia fecun-  
 dior, sed lippa. Pauciores enim sunt contem-  
 pla-



plationis, quàm actionis filij. Verùm tamen Joseph, & Benjamin plus sunt cæteris fratribus à patre dilecti. Hæc pars illa optima, quam Maria elegit, quæ non auferetur. Hæc Sunamitis pulcherrima sola in omnibus finibus Israël reperta, quæ David foveret senem, & calefaceret. Quam tu *Frater charissime*, utinam unicè diligeres, ut ejus amplexibus fatus divino caleres amore. Cujus si charitas femine animo infederit, mox illecebrosa illa, blanda deceptrix *gloria mundi* tibi sorderet, sollicitasque *opes* (menti sanè onerosas) leviter abjiceres; nec non *voluptates* fastidires prorsus, æque animæ, corporique nocivas. Novit namque *Prudentia tua*, quis dicat. (a) *Qui diligit mundum, & ea quæ sunt in mundo.* (quæ sunt voluptates carnis, concupiscentia oculorum, atque ambitio sæculi) *non est charitas Patris in eo.* Et iterum: (b) *Qui est amicus mundi hujus, inimicus DEI constituitur.* Quid ergo tam iniquum, quid sic insanæ, & præcipitatae mentis, quid tam est perniciosum, quidve infeliciùs, quàm contra eum, cujus potentia resistere, cujusve ultionem justitiæ effugere non vales, inimicitias exercere te velle? Nunquid fortiores illos sumus? nunquid quia patientia pietatis suæ nos modò ad pœnitentiam provocat, injurias, con-

temptus

(a) *Joan. 2. 15.* (b) *Jacob. 4. v. 4.*



temptus tandem non ulciscetur? quid enim est  
 perversius, quid tam rationem, justitiam, ipsam-  
 que naturam oppugnans, quam creaturam plus  
 diligere, quam Factorem? quid ergo agendum  
 censes charissimè? quid nisi divinis cedere con-  
 silijs, cedere veritati, quæ fallere non potest,  
 consulit namque in commune dicens: (a) *Venite  
 ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego  
 reficiam vos.* Nonne pessimus, & inutilis est la-  
 bor concupiscentia distendendi, sollicitudinibus,  
 & anxietatibus, timore, & dolore pro concupi-  
 tis incessanter affligi? Quod verò onus est gra-  
 vius, quam quod mentem à sublimi digni-  
 tatis suæ arce, \* in infima deprimat, quod  
 est injustitia omnis? Fuge ergo frater mi, fuge  
 has molestias, & misérias omnes, & transfer te  
 à tempestate hujus mundi in tutam, & quietam  
 portus stationem. Novit etiam prudentia tua,  
 quid nobis sapientia dicat: (b) *Nisi quis renun-  
 ciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse  
 discipulus.* Quod quam pulchrum, quam sit  
 utile, quamque jucundum in schola ejus sub  
 disciplinâ Spiritus S. manere, divinam adipisci  
 Philosophiam, quæ sola dat beatitudinem ve-  
 ram, quis non videat? Quapropter operæ  
 pretium est, diligenti examinatione pruden-  
 tiam tuam ista perpendere, quod si amor DEI

E

te

(a) *Matt. 11. 28.* (b) *Luc. 14. 33.* \* aliàs infinita



te non invitat, tantorum præmiorum utilitate non provocat, saltem necessitas, & timor poenarum ad hoc compellere debet. Scis namque quâ sponfione obligatus es, & quàm omnipotens est ac terribilis sit, cui temetipsum minus gratum, & omninò acceptabile devovisti, cui nec mentiri licet, nec expedit. Nec eni patitur inultè, se irrideri. Reminiscitur quippe dilectio tua, quod cùm ego, & tu, & Fulcius monoculus, quodã die simul fuiffemus, in Hortulo adjacente domui Adæ, ubi tunc hospitabat, de falsis oblectationibus, & perituris mundi hujus divitijs, nec non de perennis gloriæ gaudijs aliquamdiù, ut opinor tractarem. Unde divino amore ferventes promisimus, ac vovimus Spiritui S. in proximo fugitiva sæculi relinquere, & æterna captare, nec non monachicum babitum recipere. Quod & in vicino peractum esset, nisi tunc Fulcius Romanam abiisset, ad cujus, reditum peragenda distulimus. Quò moram faciente, alijsque intervenientibus causis divinus amor elanguit, rixit, & evanuit. Quid ergo superest charissime, nisi à tanti debiti nexibus te citiùs expedire, ne pro tam gravi, tamque diuturno mendacij crimine, iram incurras potentissimi, & propter hoc cruciatus immanes



quis namque inultum relinqueret, se à quolibet sibi subdito defraudari munere promisso, maxime si id magnæ foret sibi æstimationis, & pretij? Quapropter crede, non mihi, sed Prophetæ, imò Spiritui Sancto dicenti: *Vovete, & reddite Domino DEO vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera, terribili, & ei, qui affert Spiritum Principū, terribili apud Reges terræ.* (a) Cur hæc omnia inculcat Spiritus DEI, nisi ut te voventem perurgeat reddere, quod vovisti? quid verò reddere gravaris, quod nullam bonorum tuorum facit jacturam, vel imminutionem! quòdque tua potius, quàm illius cui persolveris, accumulatur lucra? Quocirca non te detineant divitiæ fallaces, quia inopiam expellere nequeunt: nec dignitas Præposituræ, quæ non sine magno administrari possunt periculo animæ. Aliena namque quorum minister sis, & non possessor in proprios usus convertere (ut pace tuâ dicam) tam est odiosum, quàm iniquum. Quod si Splendoris, & gloriæ appetens, multam volueris retinere familiam, nonne cum tua, quæ ex justo habes, non suppetunt, necesse est, ut quoquo pacto eripias alijs, quod alijs largiaris: Quod non est esse beneficum, ac liberalem, nihil enim est liberale, quod non idem justum. Verùm, & hoc dilectio-

(a) *Psal. 75. v. 12.*



dilectioni tuæ persuasum cupio, ne pro Domini Archi-Episcopi necessitudine ( qui plurimum consilijs tuis credit, & nititur, quæ non omnia justa, & utilia facilè dantur ) à tam sublimi declines DEO factâ sponcione, divinaque revoceris charitate, quæ, quantò est justior, tantò & utilior. Quid autem tam justum tamque utile, quidne naturæ humanæ insitum, & congruum, quàm diligere bonum? & quid aliud tam bonum, quàm DEUS? immò quid aliud bonum, nisi solus DEUS. Unde anima sancta hujus boni incomparabilem decorem, splendorem, pulchritudinem, ex parte sentiens amoris flammâ succensa dicit. *Sitivit anima mea ad DEUM fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem DEI.* (a) Utinam non asperneris amicum monentem? Utinam non surdâ aure audias verba Spiritûs DEI! Utinam desiderio longæque expectationi satisfacias dilectissime, ne diutiùs crucietur pro te anima mea curis, sollicitudinibusque, atque timore. Nam si evenerit ( quod DEUS avertat ) te priùs, quàm debiti votum solveris ab hac recedere vitâ trititia sine aliqua spei consolatione tabescens relinques. Quapropter & te exoratum, & imprecatum cupio, ut vel causa orationis

(a) Psal. 41. 3.



Domini ad S. Nicolaum, indè ad nos usque venire dig-  
 pluri neris : quatenus videas eum, qui te unicè di-  
 æ non ligit, & statum rerum nostrarum, ac religionis  
 n sub Ordinem, nec non, quæ ad communem utili-  
 naqu tatem spectant, mutuò vivâ voce tractare possi-  
 stior mus. Et confido in Domino, quod non poeni-  
 tum tebit tanti itineris subiisse laborem. Epistola-  
 næ si ris brevitatis excessi modum, quia dum corpo-  
 ligere re te habere non possum, saltem diutiùs ser-  
 quàn mocinando tecum morabor ; fraternitatem  
 solus tuam diù incolumem, memorem consilij  
 ni in nostri, nec voti immemorem vigere sedulus  
 lchri exopto. Vitam Sancti Remigij nobis trans-  
 amma mittas, oro : quia nusquam in partibus no-  
 ELLI stris reperitur. Vale.

*Ut mundum contempnas, satis est, eum nôsse.*

*Vid. R. P. Fran. Nepueu. 10. Octobris*

**Actus Excellentissimus ad cujus-**  
 libet virtutis proposita firmanda perutilis,  
 & accomodatus.

**M** amabilissime JESU, in gratiarum Actionem,  
 quod me ad hoc tam salubre virtutis propo-  
 situm induxisti, ex sincerissimo corde dico, quod  
 monarchias centum millionum mundorum assi-  
 stente mihi gratiâ tuâ huic virtuti, amore tui post-  
 ponerem.



*Incentivum V.*

ALLOCUTIO

S. BRUNONIS.

*Ad Amatores mundi ex Med. S. Augustini.*

Quisquis amas mundum, tibi prospice, quod  
sit eundum:

Hæc via, quâ vadis, via pessima, plenâque  
cladis.

NAM

Mundus quid? *carcer* speciosus, *splendida vincula*

*Virus* dulce, *quies* anxia, *scena* brevis,

*Instabilis statio*, *Pelagus* grave, *lerna* malorum,

*Pœna* hilaris, *Siren* noxia, *ficta* quies.

*Mendax* lena, *dolor* verus, *fucata* voluptas,

*Error* gratus, *inops* *Copia*, *juge* jugum.

*Una* rosa est, sed mille *rubi*, *stilla* unica *mellis*,

*Plenus* amaroris, *mœstitiæ*que *calix*.

Quid tandê? verbo, est funesta *tragædia* *crudelis*

Semper ubi *mortes* ultimus *Actus* habet.

DEMUM.

Hic *Labyrinthus*, & hic *Labor intus*; *abyssus* *abyssi*

Hic invocat. *Actutum*, qui legis ista, fuge.

Heu! fuge *crudeles* terras, fuge *littus* *avarum*

Ne *fraus* decipiat *tramitis* ulla *gradum*.



*Ac Sanctè cum S. Brunone conclude.*

Ad Logicam pergo, quæ *mortis* non timet Ergò.

*Sed quo Doctore?*

Illòne damnato, qui 1082. olim Sarbonenses Doctores proprio, eòque æterno damno Artem benè philosophandi docuit? de quo nostra Thalia in vita nostri Sancti, versu ordine, 15. (*Hic ita clarus, &c.*) Hunc infelicissimum Doctorem, per me licet, cogitare potes, & spectare; Ast Candide, *non hunc, oro, non hunc! sed ejus Commilitonem Sectare Brunonem*, qui meliùs illò suum rebus Creatis novit pretium ponere, & amoris Creatoris præcipuū studium deferre. In quo solùm secundum S. Augustinum *vera sapientia, & Christiana Philosophia consistit*. Hinc tibi in primo statim sui sacri Athenæi aditu pro prima Lectione duodecim hæc solidæ virtutis Cardinalia Effata, sive regendæ vitæ Principia in adjumentum extirpandorum vitiorum & inferendarum virtutum altâ mente reponenda proponit.

## LECTIO I.

*Duodecim piè vivendi principia.*

I.

**V**olve animo, precor, haud aliò te fine creatū:  
Quàm cœlum obsequijs ut mereâre tuis.



2. *Ista Fides tibi sæpè canat : virtute paratur  
Cælum ! vi rapitur flagitiòque perit.*
3. Hinc nudus migrabis, & hinc opera una sequentur,  
Quæ rigida excutiet lance suprema Themis.
4. Dú vivis, merita accumula : nã dives, inopisq;  
Ille eris æternùm, qui moriens fueris.
5. Omnia nuda DEO, cordis penetralia novit;  
Te, precor, ô dignum finge vidente DEO!
6. Sine, animo prævisa, solent quæ accendere mentem  
Néu te præveniant tristitia, ira, timor.
7. Comprime nascentes motus: dū nubila menté  
Cæca premunt, linguam, consiliúmque preme.
8. Certú animo sedeat morté prius exoptandá,  
Lethifero quàm te crimine polluere.
9. Si cadis, erigere audacter, criménque fatere;  
Majores animos vulneris ira dabit.
10. Præcipuá pietate DEUM complectere; amore  
Ingenuò socios : in te inimicus eris.
11. Fac, adsit doctus, pius ista per invia Rector:  
Impleat illustri qui tua corda face.
12. Una tibi superùm Regi servire voluptas;  
Una iterum tibi sit cura placere DEO.



## LECTIO II.

## Vetus Proemia

*Exeat ex mundo, qui cupit esse pius.*

*Candidus.* Quò? datur ergò sedes extra mundum? *S. Hierony. purpuratus Deserti cultor.* utique; & hanc ego cum JESU in deserto reperi; Audi, quid illic agatur, & cœlum esse credes: *Silentium* ibi est, *Tranquillitas* & *juvunditas animi.* En Dotes Beatorum!

I. *Silentium.* Amicus silentij DEUS est: semel in tota æternitate locutus, uno omnia dixit in verbo. Etiam hic rarus est sermo; plerumque nemo loquitur, nisi sibi. Retractant ætatem præteritam, & emendant; recognoscunt annos elapsos, & meliores faciunt, quia faciunt pios. Neque ibi *pietas* sistit. Assuescunt *mei* morti, olim morituri; experiuntur artem moriendi, ne quando errent, ubi nemini errare bis licet. Imò ut mortem ludant, incipiunt esse immortales, dum vivunt. Plus ultra: auspiciantur *æternitatem* intra *tempus*; vivunt vitâ futurâ; præmittunt merita ad cœlum, quibus coronentur, & felices olim futuri præludunt felicitati. Nil refert, quod homines taciturni DEUM, & Sanctos alloquantur. Hoc colloquium non violat *silentium.*




2. *Tranquillitas* ibi est ob continuum se se excolendi, & recolligendi studium. Frustra sæculares tranquillitatem extra se quærunt. Donum hoc domesticum est; igitur intra nos nasci debet. Quid prodest nobis pax Europæ, si in animo sint pugnæ? licet una sit anima, eundem tamen intra hominem vivit geminus homo, rationalis, & animalis, superior & inferior. Hic jucunda amat, ille honesta appetit. Nec ante speranda pax est, donec ea pars regnet, cui sceptrum natura dedit, & DEUS imperium. Porro ut semper ratio sit Domina, bis indies firmissime statuunt, quid agendum, quid prætermittendum? Momenta utriusque & argumenta in promptu habent. Adhortantur seipsum in hunc ferè modum: *Jubet lex suprema; confirmant sapientum testimonia; monstrant bonorum exempla; suadet salus; ratio dicat; imò urget evidens periculum, ne, cum velis agere bene, non possis; cum nolis agere malè, agas tamen; idque tum, quando ultimùm aut benè, aut malè ages.* Ex his æstimant agendi, & prætermittendi parem *necessitatem*: illius utilitatem, hujus perniciem; illius dignitatem, hujus turpitudinem. Implorant deinde cœlo gratiæ subsidium, quo naturæ malè propensæ hæctant duritiem. Demum etiam ad poenam DEO se obligant, si ex humana fragilitate defecisse

feci  
mi,  
3  
rit  
tus  
nesc  
nesc  
assu  
cijs  
que  
adin  
cha  
æte  
ra,  
præ  
culo  
terr  
NB  
piar  
nesc  
hic  
ro,  
silia  
spe  
mac  
ex R  
(  
de la



fecisse contigerit. Hinc jugis *tranquillitas animi*, quæ in mundo exulat.

3. Et tandem ibi *jucunditas*. Ut verè dixerit *Eminentissimus Bellarminus S. R. E. purpuratus Pater è Soc. JESU. Cùm essem Religiosus nesciebam quid sit tristitia. Factus Cardinalis nescio, quid sit lætitia.* Etiam inter mortales assuescunt desertores mundi Cœlestibus delicijs, & discunt tolerare DEUM, semper loquentem audiunt; semper illius voluntatem adimplent. Vis in *nuce Iliadem*? vita hæc est character Electorum, Arma salutis, beatæ spes æternitatis, sponsio Cœli, Beatitudinis cynosura, testimonium Divini amoris, certissimum prædestinationis signum, æternæ veritatis oraculo juratum. *O Vitam dulcissimã! O paradisum terrestrem, quem dulcior alius excipiet Paradisus!* (a) NB. Ne tamen rationem vitæ sine ratione arripiamus, & cum Fabulatore Æsopo properemus nescientes, quò curramus, in *Manresanam* nos hic Doctor iterum dirigit *Eremum*, ut tibi puro, & simplici oculo *Magistra Æternitate*, & *Consiliarijs* quatuor *Novissimis* tractemus aliquantisper salutis nostræ *negotium* per omnes hebdomadæ dies.

 Tandem tertiam formam Pietatis subijcio scintillã ex R. P. Joanne Nadasi S. J. petitam. CA-

(a) Vid. Epist. S. Hieronymi. Ep. 6. ad Heliodorum de laude vitæ Solitariae. Ep. 40. ad Theodosium, &c.





## C A P U T III.

De

*Medijs conducentibus ad Pietatem excitandam, & ad bene eligendum, ac eligendum.*

### *Medium I.*

*Æternitas Optima Magistra Pietatis quâ ritè usus Bruno, mundo Sanctè valedixit.*

§. I.

Consideratio prima pro die Dominico.

*BRUNO attonitus è consideratione horrendi spectaculi Dammati Doctoris Sodalis sui, Fide, & æternitate Consultrice, ac Magistra de Sanctioris vitæ statu deliberans, se sociosque ad salutaris penitentis Statum exhortatur, tristèque querit.*

*Personæ. Bruno, Fides, Socij.*

*Bruno. Quò me vocas Æternitas, statera veritatis?*

*Quid me doces Æternitas, Magistra Sanctitatis?*

*Fi-*



*Fides.* Æternus est, æternus est  
Rex Ille, qui minatur!  
Infernus est, Infernus est  
Res illa, quam minatur?

*Bruno.* Æternitas horrenda vox!  
Loquárne, num tacebo?  
Æternitas heu longa nox!  
Quidquid vetas, cavebo.

*Bruno.* Quid desides in otijs

*ad Socios.* Totos dies jocamur?

A blandulis ineptijs

Ad tartarum vocamur.

Audi cor: heu quid stertimus?

Ridemus, ut fleamus?

Caduca sunt, quæ spernimus:

Eamus hinc, eamus!

Quot dormientes devorat

Æternitas sinistra?

Eamus ergo, quò vocat

Æternitas Magistra!

## Doctrinalis Prosa pro medi- tatione I.

*In negotio animæ omnis torpor spi-  
ritûs excutiendus.*

**A**ldi Cor surdum, oscitans & dormitans ad  
crepidinem præcipitij æterni. Heu quid  
ster-



stertimus? voluntarius, & letharicus iste somnus æternæ mortis frater est; expergiscere ab hoc *torporis* tui somnio: capeffe tandem expedite Sanctissima *æternitatis* Consilia; morasque periculosæ procrastinationis procreatrices sine mora abrumpe. *Væ secularibus*, ajebat, & scribebat B. Aloysius Gonzaga (a) *qui pœnitentiam differunt usque ad mortem! - vœ etiam Religiosis, qui usque ad eundem Articulum dormierunt!* His quasi excitamentis excutienda est somnolentia animæ; & renovandum propositum pœnitentiæ.

Ne itaque tibi sit *væ* in agone, *væ* in iudicio, *væ* in inferno, *væ* in æternitate; excite te à mortuali somno, nè somniculose agas, magnum illud negotium *æternitatis* tuæ, ac erudiat exemplum S. Brunonis, qui salutaria *Æternitatis* monita fideliter executus, tenet regna Cœlestia.

### *Legatur vitæ ejus.*

*Colloquium.* Conforme contemplationi.

Rosarium. De *Æternitate*. *Diurna tessera:*

Hæc cave quæ moriens plorabis facta fuisse

Hæc fac, quæ moriens, facta fuisse voles.

*Examen.* Cogita dies tuos antiquos à primis discretionis annis usque ad juventam. Dole & veniam pete.

§. 2.

(a) *Ceparius vetæ l. 2. c. 5. pag. 292.*



## §. II. Pro die Lunæ.

*Norma Sanctitatis Diphtera Æternitatis.*

§.

*Argum.* Bruno ad maturandum suum è mundo  
 abitum sibi pro norma morum propo-  
 suit *Æternitatem*, mundique mendacia,  
 ac *Inferni* tormenta seriò expendenda.  
*Candide!* hæc volve, & revolve & tu:  
 sed in tempore.

*Personæ, ut heri.*

*Bruno.* Heu, naufragis solatijs  
 mundus suos saginat,  
 Lethalibus mendacijs  
 Venena dum propinat!  
*Æternitas* Cœlestium;  
 O Sancta norma morum!  
 Et mille mille tristium  
 Vorago sæculorum!  
*Æternitatis Diphteram*,  
 Heu! quamdiu revolvam!  
 Adhucnè, adhucnè, differam?  
 Numquàmne me resolvam?  
 Heu quamdiu delibero!  
 Et luctor ipse mecum?  
 Ibo, Ibo, passu libero,  
 Tristem subibo *specum*.  
 Heu munde tu me decipis  
 Blandum tuum Clientem.



*Æternitas, quid præcipis?*

*Habes obedientem.*

*Sancti amoris passibus*

*Quò me vocas, abibo*

*Piis amoris artibus*

*Instructus haud peribo.*

*Credo tuas, Æternitas,*

*Flammas, minasque credo,*

*Cedo tuis æternitas,*

*Flammis minisque cedo.*

### PROSA,

#### *Pro Meditatione Ferie II.*

*Fuge peccatum.*

Credisne verè, & seriò credis, posse DEUM, & velle tibi, si in peccato mortifero inveniaris, infligere id, quod minatur, supplicium æternum, tenebras exteriores, ignem æternum? Credis Fide non languidâ, sed vivâ, rem certò ita se habere, tibi seriò persuadente? credis id, quod cum suspirio (ut attentum te redderet) dixit Christus Matth. c. 7. v. 14. *Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui intrant per eam. Idem dixerat: lata porta, & spaciofa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam, visne resciscere, num sis futurus inter multos damnandos; an inter paucos salvandos? fabulæ,*

bula  
gere  
Tu  
trosp  
Æter  
pend  
det I  
rare  
Ubi a  
mor  
Prim  
nus;  
per q  
ut fir  
bus e  
cabis  
pecca  
nitati  
vel ic  
Æter  
in A  
ritual  
I.  
plena  
detest  
penet  
tesqu  
(a)



bulæ, in Amalthææ capræ pelle fingeant se legere diphtheram Jovis res futuras indicantem. Tu *Æternitatis diphtheram* volve, revolve, introspice, lege. Salvaberis, si ingentem illum *Æternitatis librū*, sæpe, seriò meditatè legeris, expenderis, ponderaveris; & feceris id, quod suadet DEUS: (a) *in omnibus operibus tuis memorare Novissima tua; & in æternum non peccabis.* Ubi alius legit: *in omnibus verbis tuis.* Alius: *memor sis mortis.* Liber hic quatuor est foliorum. Primum est *mors*; secundū *judicium*; tertium *Infernus*; quartus *Cœlestis gloria*; Liber hic quotannis per quatuor anni tempora, perlegendus est; ita ut singula folia sibi vendicent tres menses, quibus ea legas attentè: sic in æternum non peccabis; id est non damnaberis. Solum namque peccatum est *Clavis inferni*. In hoc libro *Æternitatis* erat olim *Sanctus Bruno* versatissimus, & vel ideò *Doctissimus* ac *Celeberrimus*, quia *Æternitatis Studiosus*, & *Doctor*. Hic excurre in *Acta* ejus vitæ, &c. Act tandem occurrente spiritali motu in tria sequentia colloquia deflecte.

I. *Coll. ad B. Virginem*, ut à filio tibi obtineat plenam criminum tuorum cognitionem, & detestationem, ut ijs, *Æternitatisque* Consilijs penetratis, te ipsum secundum DEUM, veritatesque æternas rectè dirigas.

F

II. Ad

(a) *Eccles. c. 7. v. 40.*



II. Ad Christum Dominum ac Mediatorem  
ut illa eadem tibi impetret à Patre suo.

III. Ad DEUM Patrem, ut eadem largiatur  
Pater, & Ave.

Rosarium De *Æternitate*. Examen.

*Cogita Dies tuos antiquos traductos in florida  
Ætate. Errata ejus defle. Delicta Juventutis  
meæ, &c. Psal. 24. v. 7.*

§. III.

Pro die Martis.

*Mensura Æternitatis, nostræque Sanctitatis : Dic  
verbum : semper & nunquam.*

3. §.

*Argum.* S. Bruno aures ad portas inferni applicans periculosè procrastinantibus Vocationem suam, atque vitæ seriæ emendationem tacitè innuit; ut & ipsæ saltem per quartam horæ partem aures suas quotidie ad portas Inferni admoveant, ibi binas damnatorum voces audituri; *semper, & nunquam.*

*Personæ. Bruno, Fides, Damnatus.*

*Bruno.* Damnate, Dic, tu : quamdiu

Ardebis igne? \* *semper.*

Dic ipse, dic tu : quamdiu

Cogêre flere? \* *semper.*

\* *Damnatus.* \* *Damnatus.*



Damnate, Dic; vos quamdiu  
Torquebit ignis ille?

*Damn.* Torquebit eheu; tam diu

Dum vivet UNUS ille!

Ibunt dies cum mensibus,

Annisque, sæculisque:

Ardebimus nos mensibus

Annisque sæculisque;

Ardebit ira Numinis

Per lustra sæculorum:

Nec spes erit levaminis,

Nec terminus *Dolorum.*

*Nunquam* DEUM videbimus,

Amabimurque *nunquam!*

Ah *semper* hinc ardebimus;

Amabimurque *numquam;*

*Famemus?* ignis panis est,

Glutire quem jubemur.

*Sitimus?* ignis potus est;

Ut hoc inebriemur.

*Videmus?* Ater ignis est

Id omne, quod videmus.

*Jacemus?* ignis Lectus est

Quo perpetim Jacemus.

Non sunt polis tot *stellulae*

Nec orbe toto *arenæ;*

Non sunt maris tot *guttulae,*

Quot hoc in igne *pœnæ.*



*Æternitas*, sed maximus  
Est hîc Dolor *Dolorum*;  
Quod non sit ullus terminus  
Tam grandium *malorum*.

*Æternitas*, ô omnium  
Mors magna *Reproborum*!  
Interminate tristium  
Acerve *Sæculorum*!

*ides.* Clamant in illo carcere:

O Si daretur *hora*!

Totus DEO renascere:

Quantùm potes *Labora*!

Bilance justâ pondera

Hinc *semper*, inde *nunquam*;

Sint cordis ista pondera,

Sat ponderanda *nunquam*!

Eheu! duo vocabula,

Mensura *Sanctitatis*!

Nec est, nec est hæc *fabula*;

Sunt verba *veritatis*

\* P R O S A . \*

*Pro Meditatione hujus Diei.*

O! Si unquam, vel & per quartam horæ  
partem exemplo *S. Brunonis*, aures quotidie  
ad portas *mortis* profundâ meditatione admo-  
veres, quàm longè alius, id est, quàm bonus,  
quàm pius, quàm fervens, quin imò, quàm

*Sanctus*

*Sanctus*  
audire  
quem  
gum  
respe  
DEUM  
adula  
dires  
runt p  
gines  
alia, &  
tu Le  
cit sic  
perpe  
funde  
Dami  
Heu  
Quid  
Plebe  
Ad lo  
Hifq;  
Pervi  
(Lege  
tate: I  
Relig  
factus  
cellæ  
maru  
\* J



*Sanctus* fores *Sanctioris vitæ Candidatus* ! Quia audires inde clamantem Tepidum aliquem, quem DEUS evomuit in Infernum ; ah longum *semper, & nunquam* ! Audires Idololatram respectuum humanorum ; ah ! *nunquam DEUM videbo* ! audires carnis suæ blandum adulatorem ; heu me ! hîc *semper hærebo* ; audires alios, quibus ad infernum viam straverunt procaces, oculi, fœdæ domi, forisve imagines, obscenæ manus, focij, libri, linguæ, aut alia, &c. Et quidem illa peccata, quibus utinam tu *Lector*, nunquam sis, fiasvé obnoxius ; Fecit sic, *Sanctus mundi Osor*, & novissimorum perpetuus ponderator *Bruno* : spectavit, profunde consideravit insperatam infelicis Socij Damnationem.

Heu mihi ! \* *dicebat, vae, vae, quia tempora trivi!* Quid faciã demés ? ex quo, qui ut sanctus ab õni. Plebe colebatur, sic infeliciter ardet ?

Ad loca Cerberæi rictûs, immane barathrum.

Hisq; animû verbis nunc hûc, nunc Dividit illûc.

Pervigil in melius cupiens convertere vitã, &c.

(*Lege vitã.*) P. Hierem. Drexel. in Opusculo de aterni-

tate: Item ; Apud S. Joan. Climac. : gradûs 6. hist. de

Religioso, qui his benè usus ex negligentissimo

factus speculum rarum sinceræ *compunctionis*,

cellæ inclusus 12. annis vim ferventiû lachry-

marum incessanter profundeabat, Epi-

\* *Versu 139.*



*Epiphonema.* Heu fuge, crudeles poenàs ! fuge  
semper Avernum.

Sique DEUS suadet mox sacra septa  
pete.

*Examen.* *Vitæ tuæ à 33. anno usque ad annum*  
*quem agis, &c.*

Colloquium cum Crucifixo, conforme propositis,  
& Divinæ inspirationi. Pater. Ave.

---

#### §. IV.

### *Pro die Mercurij Consideratio IV.*

4. §

*Argum.* Bruno ad convincendum intel-  
lectum, seque totum DEO vocanti  
tradendum instat pluribus ex Fide qua-  
rere, quid sit *Gebenna*, & quid sint Dam-  
natorum *Pœnæ*? cui *Fides* iterum duo-  
bus verbis: *semper & nunquam* respon-  
det.

*Personæ.* Bruno, Fides, Doctor  
Damnatus.

*Bruno.* Quid est, quid est *damnatio*?

Edic *Fides* tu nobis,

*Fides.* Eheu! hoc est: pulcherrimum

DEUM videre *nunquam*!

Illum DEUM dulcissimum,

Eheu, amare *nunquam*!

Cum



Cum flammeis draconibus

Vinctum jacere *semper*?

Vivisque sub carbonibus,

Ardere, flere, *semper*?

Insto, quid est damnatio?

DEO placere *nunquam*!

Æterna desperatio:

Pœnis carere *nunquam*!

Sub igneis rudentibus

Vivum perire *semper*!

Sub tot draconum dentibus

Singultiendo *semper*?

Nil est, nihil, candentium:

Fornax laterculorum:

Nihil: vitrum coquentium,

Ignis vitrariorum.

Ferrum liquatum, quod fluit,

Et bullit in caverna,

Nil est ad illa, quæ luit

Peccator in gehennâ.

*Bruno.* Ostende nobis, ô *Fides*,

DEUM bonos amantem!

Dic, ô *Fides* qualem vides

DEUM reos necantem!

*Fides.* Coronat illos lumine

In monte præmiorum:

Involuit istos fulmine

In valle perditorum:



Quàm mira multa, grandia  
Scribuntur, & leguntur,  
*Æternitatis* gaudia,

Quibus boni fruuntur!

*Æternitatis* gaudijs

Ab omnibus carebunt,

*Æterna* pro solatijs

Tormenta quos manebunt.

*Bruno*

Valete pulchra *somnia*

*Cunctis*

Fluxæque vanitates,

*Creatis*

Nihil, nihil sunt *omnia*:

*valedicit*

Aut sunt inanitates,

Hic mundus est brevissimæ

Sophisma vanitatis;

Infernus est dirissimæ

Fornax perennitatis.

Adverte! judicaberis

In *Judicis lucernis*.

Si sis reus torqueberis,

In *tartari cavernis*,

*Æternus* est, *æternus* est,

*Æternus* ignis ille.

Infernus est, infernus est,

Infernus ignis ille.

Ah! quamdiu morabimur:

Inter pericla mille?

Brevi, brevi vocabimur:

Præcessit hic, & ille!

O! *Æstuo*



O! Æstuosa æternitas,  
 Tu me tene cadentem!  
 Semperque stans Æternitas,  
 Tu subleva jacentem.

DEO volo jam vivere  
 In valle lachrimarum:

Volo moras abrumperè;

*Sat est, sat est morarum.*

*Apostrophe* - Dammate Doctor dicitis

*Bruno* - Si fas foret redire,

*noni; ad* Possesne carni parcere?

*Damnatum.* Heu quanta! non subires?

Quales preces tunc funderes,

Quas lachrymis rigares;

Illisque flagra jungeres,

Corpusque perdomares,

*Bruno.* Ab inferis si surgerem,

A morte si redirem;

Quid dicerem? quæ viverem?

Ne denuò perirem?

O Quanto amore amplecterer

Te Christe Liberator!

Quòd amplius non plecterer

Per te, DEUS Creator.

\* PROSA, \*

*In qua præscribitur modus Sanctè vivendi, & Diurna nostra Exercitia perfectè obeundi.*

i. Considera, quomodo te in tentatione: quomodo



modo in Oratione, in deliberatione, verbo  
 singulis, quæ agis gereres redux à morte, at  
 ab Inferno? amares haud dubiè DEUM, qui  
 te liberavit: potius ama DEUM, qui te nec  
 dum eò detrulit, & locum dedit adornandi  
 itineribus æternitatis. Sanctus Franciscus  
 Borgia (a) de ijs, qui seriò salvari vo-  
 lunt, inquit: *Nihil minus in DEI obsequio face-  
 re debent, quàm si ex inferno educerentur, fuissent  
 facturi.* Quid diceres, quid faceres tunc  
 fac nunc; & eò non descendes, unde nemo  
 ascendet. *Lege c. 24. ex Thom. Kemp. l. 1. de judi-  
 cio, & pœnis peccatorum. Cætera ut heri.*

## §. V.

*Pro die Jovis.*

A deliberante de vitæ statu expendendus.

*Increpatio sui.* Quousque non amabimus?

5. §.

*Argum.* Bruno ante Crucifixū stans, è conside-  
 ratione misipientis DEI, ejusque in se  
 benignissimè demonstratæ longani-  
 mitatis, agnoscit ejus gratiam, & unū  
 suum debitum; exardescit in amore  
 DEI, excutit veternum languoris,  
 ac tandem victas dans DEO manus,  
 vocantem sequi statuit. *Per-*

(a) Collyr. p. 1. 93.



*Personæ. Bruno, Fides, Doctor  
Damnatus.*

*Bruno.* Ah! plus amoris debeo,  
Perire non *sinenti*?  
*Quid* languedo, *quid* hæreo?  
Nec reddo cor *petenti*.  
Amore flagrantissimo  
*Volo sequi Vocantem!*  
Et corde quàm tenerrimo  
Amare sic Amantem.  
*Quis* fecit, ut nè sim reus,  
Vivamquè corde mundo?  
*Quis* fecit, ut, si sim reus  
Ne mergar in profundo?  
*Quis* fecit, ut, ne sterterem  
In criminum *veterno*?  
Mihiquè lectum sternerem  
In igne sempiterno!  
Ardent in antro flammeo  
Heu mille! mille! mille!  
Cur sic ego non ardeo,  
Ut ardet hic, & ille?  
*Quis* fecit, ut ne traderer  
Ergastulo *reorum*?  
*Quis* fecit, ut nè truderer  
In clibanum *dolorum*?



Hoc fecit admirabilis  
 Monarcha sæculorum,  
 Et millies amabilis  
 Rex Cordium bonorum.  
 Amor DEUS dignatus es  
 Amare non amantem :  
 Fac, ut velim (*nam dignus es!*)  
 Amare sic amantem.  
 Fac, ista sic intelligam :  
 Ut plus amare discam :  
 Fac, mi DEUS, te diligam ;  
 Tempore nè fatiscam.  
 Tu, mi DEUS, me maximo  
 Amore sic amâsti :  
 Et tartari dirissimo  
 Ab igne liberâsti :  
 Amare jam nè desinas  
 Amare te volentem !  
 Et impetrare me sinas  
 Amare te petentem.  
*Amoris JGNIARIUM*  
 In corde sit PERENNE  
 Crescâtque Seminarium  
 Incendit *Gehenna*.  
 Nunc ferveo, nunc ardeo  
 Amore præpotenti !  
 Non languero, non hæreo ;  
 Nunc trado me petenti,



*Scopus & fructus hujus considerat.**Confessio Sacramentalis*

**S.** Bruno olim, ut modò audivisti, quæ dixit sine mora egit: *ipse dixit & facta sunt.* At tu mi *Cosmophile*, quid audio de te? (a) post millena etiam, bona proposita, DEI immemor, & tui, multa quidem stimulante conscientia statuis, sed facis nihil, & torpes ad singula; ad minas etiam, & divinas inspirationes surdus, recalcitrans, & refractarius. Ast mi *chare!* hodiè (*non cras*) hodiè tua novissima, attentè cogitare, & æternitati studere incipe, & S. Hildegardem dicentem audi, (b) *Gehenna ijs*, inquit illa, *obvia est, qui DEUM in oblivione Cordis sine lœnitentia habent.* Hodiè igitur procrastinationis tuæ, & moras, & vincula sæculi abrumpe, de consilio Ven: Bedæ (c) *Ne mors repentina tibi surripiat diem conversionis. Qui enim indulgentiam remittendi promisit, Crastinum diem Dissimulanti non promisit.*

Sicut homo fragilis offendisti; mox ut prodigus filius cum serio pœnitentiæ dolore, & amore

(a) *Luce c. 16. v. 1.* (b) *Lib. 1. vis. 2. n. 28.*

(c) Sermone illo, quem quâlibet die habendum inscripsit. Tom, 7. Column. 336.



amore in Sacramentali Confessione *humiliter purè, sincerè, ac fideliter* peccatum tuum agnosce, dole, ac confitere. (Quod est fructus & scopus præsentis cõmentationis) Quid mavis vel confitendum est, vel ardendum? Ah! nescis (*ait iterum Bedal. c.*) *quanta, & qualia parata sunt sacrilegis in inferno.* Damnata illa puella nobilis (a) quæ peccatum in Confessione tacuerat, catenis & igne obscuro circumdata Joanni Ramirez Interroganti, quid ei esset summo dolori? dixit: *Hoc quod videam, quod tam facile salvam potuissem, si peccatum illud in Confessione primo loco aperuissem, quod nunc sine fructu aperio. Inchoavi Confessionem à levioribus! ô utinam à gravioribus inchoássem! jam ardebo aeternum! Cosmophile certè, si ista ponderássem, non ita fuisses confessus peccata tua, sicut aliquando confessus es?*

Felix quem faciunt aliena pericula cautum! Colloquium ad Christum, gratias agendo pro patientia, & misericordia ejus (quâ tolerat nostram malitiam) petendo nobis, aliisque gratiam, fructusque veræ pœnitentiæ. Cætera, ut heri.

## §. VI.

## Pro die Veneris confid.

*Desiderium grati animi in effectum prurientis.*

6. §. *Argum. Bruno.* Adhuc altiùs pœnas Inferni

(a) *Christop. Vega casuum par. 1. c. 6.*



in *alios*, & bonitatem DEI in *se* expen-  
dens, & hæc iterum, iterumque ani-  
mo revolvens desiderio DEUM ar-  
dentiùs amandi ignescit, sic modu-  
lando.

*Hic Solus Bruno suã personã agit.*

Hæc tanta dum considero,  
DEUS, volo Te amare ;  
Nec ampliùs desidero  
Quàm cor tibi immolare.  
Tu, qui dedisti, nè fleam  
In igne devorante :  
Fac, ut beatus gaudeam  
In igne cor liquante.  
Hoc igne crescens charitas  
Amare me docebit ;  
Ac tristis illa Æternitas  
Nihil mihi nocebit.  
Vellem, focis majoribus  
Ardere corde toto,  
Quàm mundus ignes ignibus  
inflammet orbe toto.  
Infernus ignis æstuat  
In te furore quanto ;  
Internus ignis ardeat  
In me calore tanto.  
Utrumque utrinque incendium,  
Mundiquè tartariquè,

Sic



Si conflet in compendium  
Mundusque, tartarusque.

Adhuc tamen non sufficit

Hæc flamma, sed nec illa:

Infernus ipse deficit:

Et est velut favilla.

Majore amore debeo

Te corde toto amare,

Majori ab igne debeo,

Amando te flagrare.

DEUS, volo flammescere

Prunis tui caloris:

Et sic amando crescere

Incendijs amoris.

Felix DEI dilectio!

Tu cor mihi movebis,

O Pulchra cordis Lectio!

Tu me *fugam* docebis.

Tu tolle! quicquid impedit,

Hanc nè *fugam* capeffam:

Largire quicquid expedit,

Hanc ut *fugam* capeffam.

Infernus est ardentium

Dolore non amore:

Cœlum locus flagrantium

Amore, non dolore.

Quo me vocas, &c. *num. 1.*

*Æternus est, &c. num. 2.*



*Audisti Brunonem, Cosmophile, Sancto Desiderio ardentem, Fugam mundi sibi à DEO expetentem, cui tu æquo plus fidis? Ah! Mundi, atque Peccati carpe Fugam, Juvenis, si tibi chara salus, rationem dilecto Christi Discipulo reddente. Joann. c. 2. v. 15. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Et 17. ibid. & mundus transit & Concupiscentia ejus; qui autem facit voluntatem DEI, manet in æternum. Ergo festina, quæso te, & hærenti in salo naviculæ funem magis præscinde, quàm solve. S. Hier. Ep. 103. ad Paulinum. Hodie Lege Bebaiosim, seu sermonem S. Brun. (ex vita ejus.) Ad Scholares suos habitum post exequias damnati Doctoris: Manè, Scholas repetens, &c. (q. & r.)*

---



---

§. VII.

Consideratio pro die Sabbati.

*Expertus potest dicere, quid sit Jesum diligere.*

7. §.

*Argum.*

*Bruno ruptis jam sæculi pedicis, & jam portum voluntatis suæ tenens, favores & amores DEI (quos actu experitur) memorans, omnes Coelites ad redamandum secum DEUM invocat,*

G

cat,

(q. & r. v. 142.)



cat, & in Spiritu exultans *Exem*  
*amoris* petens lætus *Celeusina* canit.

*Jubilus Brunonis sentientis flammam*  
*Divini Amoris.*

*Bruno.* Mirabiles, amabiles  
 DEI mei favores:  
 O Vos inexplicabiles,  
 O nobiles amores!  
 Vos cor meum perfundite,  
 Vos pectus occupate:  
 Quæ non placent: evellite,  
 Deoque me dicite.  
 Quod ignis ultor ureret,  
 Vos illud expiate,  
 Quod ignis ille plecteret,  
 Hoc vos prius cremate.  
 Amor DEI tu dispice  
 Num quid mali sit in me?  
 Amor DEI tu perfice,  
 Si quid boni sit in me.  
 Quicquid mali sit, corrige,  
 Amore corrigamur,  
 Si quid boni sit dirige,  
 Amore dirigamur.



Æternus est, æternus est,  
 Quem quæro, *cordis ignis!*

Æternus est, æternus est,  
 Quem nolo *mortis ignis.*

Amare Te peto, DEUS!

Audi DEUS, petentem:

Ignis meus, DEUS meus,

Accende me tepentem.

DEUS, manum tu porrige

Amare Te petenti:

Mentem benignus erige,

Amare non potenti.

*Volo, volo jam surgere:*

Fac me *magis volentem.*

Ut *plus amem*, Cor surgere

*Juva parùm valentem.*

Amabo Te, quàm maximis

Possum modis, amabo!

Ut *plus amem*; tenerrimis

Te vocibus rogabo;

Rogabo te lectissimis

Suspirijs; rogabo:

Quantisque possum lachrymis

Instanter obsecrabo.

Modisque flagrantissimis

Clamans id impetrabo.

*Sic artibus te maximis*

*Et optimis amabo.*



Venite cuncti Cœlites  
 In Cor meum *venite!*  
 Tam pauperi, tam divites  
 Venite, *subvenite.*  
 In pectus hoc descendite.  
 Ut ardeam, juvate,  
 Cor frigidum succendite,  
 Et illud innovate.  
 O corda pulchrè ardentia  
 Vos Cor meum fovete?  
 O Corda! Corda amantia,  
 Amare me docete!  
 Si Sancti amoris guttulam  
 A singulis habebō.  
 Ab omnibus non guttulam  
 Sed flumen obtinebo.  
 MARIA tu sis optimi,  
 Ignis mihi ministra,  
 Quæ cordibus pulcherrimi  
 Amoris es magistra;  
 Jam sum tuus; nolo, DEUS,  
 In hoc luto jacere.  
 Totus volo, DEUS meus,  
 volo tibi placere.  
 Accende verbis flammeis  
 Linguam tibi loquentem,  
 Et igneis suspirijs  
 Incende me tacentem,



Tu verba, tu silentium  
 Meum doce benignè  
 Sic linguæ, sic silentium  
 Ignescat ab hoc igne.  
 Fac, mi DEUS, me crescere,  
 Astu tui caloris;  
 Novasque semper discere,  
 Industrias amoris,  
 In me, DEUS, fac ardeat  
 Æternitas amoris!  
 Nè me perennis torqueat  
 Æternitas Doloris.

*Summa perennis Igniarij,  
 & Doctrinalis prosæ.*

*Theophile. Ad imitationem Sanctorum. I. Ama  
 DEUM, & fac quod vis. S. Aug. II. Dicti Chri-  
 sti ad S. Brigittam l. 4. Revel. c. 4. semper me-  
 mor esto.*

*Omnis qui diligit DEUM super omnia, non in-  
 trabit Infernum: qui verò non diligit DEUM,  
 non habebit Cælum. Tu qui hæc Legis;*

*Hæc sæpè in corde benè expende.*





## Medium II.

*Septem verba oris, & totidem cordis à Christo in cruce prolata.*

In cruce pendens septies locutus est JESUS ore, millies corde.

- |              |   |
|--------------|---|
| Ore<br>dixit | <ol style="list-style-type: none"> <li>1. <b>P</b>atri; Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.</li> <li>2. <i>Latroni</i>: Amen dico tibi, hodiè mecum eris in Paradiso.</li> <li>3. <i>Matri, de Joanne</i>: Mulier ecce filius tuus; &amp; <i>Joanni de Matre</i>: ecce Mater tua.</li> <li>4. <i>Peccatoribus</i>: Sitio.</li> <li>5. <b>DEO</b>: DEUS, DEUS meus, ut quid dereliquisti me?</li> <li>6. <i>Toti humano generi</i>: Consummatum est.</li> <li>6. <i>Patri</i>: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.</li> </ol> |
|--------------|---|



In his septem verbis Singularia virtutum documenta continentur.

I.

1. **C**haritas erga inimicos commendatur.

2. *Misericordia* erga peccatores.

3. *Pietas* erga parentes.

4. *Desiderium patiendi* pro salute proximi.

5. *Oratio, & Recursus ad DEUM* in tribulationibus, & derelictionibus ab eo permittis.

6. *Virtus obedientiæ perfectæ, & perseverantiæ.*

7. *Perfecta resignatio in DEI manus*; quæ est totius nostræ perfectionis summa.

*Corde hæc, & mille alia, dixit, & dicit etiamnum.*

1. *Patri*; Pater ex ijs, quos dedisti mihi, nemo pereat; aspice vulnera mea, & dimitte eis peccata.

2. *Matri*: Vale Mater, ad patrem vado; non potes mecum venire modò, sequêris postea; Discipulos meos, mea viscera tibi commito, & commendo.



3. *Ingratis peccatoribus*: O Homo, vide quæ pro te patior; non est dolor, sicut quô crucior; ad te clamo, qui pro te morior; vide pœnas, quibus afficior; vide clavos, quibus confodior. Cùm sit dolor tantus exterior, interior est planctus gravior, cum te tam ingratum experior.
4. *Judæis*: Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te?
5. *Amicis, & Electis*; inspiciate; & facite secundum exemplar, quod in monte monstratur vobis.
6. *Omniibus*: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis dolori meo.
7. *Tibi denique qui hæc legis*: Ego sum ille JESUS, DEI & MARIE filius, qui pro te pendo, & morior in Cruce. Hæc Vulnere mea fecerunt tua crimina: ah! cessa tandem, cessa peccare, si non vis Vulnerare.





## MONITUM S. FRANC. SALESII.

*De Affectibus, & propositis circa 7.**Verba CHRISTI in Cruce prolata.*

**C**andide; non ita insistas affectibus generalibus, ut non eos in specialia, & particularia ad correctionem, & emendationem tuam tendentia proposita convertas. v. g. *Primum* quod DEUS in cruce protulit, Verbum, bonum haud dubiè in anima tua affectum imitationis, nimirum quoddam tuis ignoscendi inimicis, eosq; diligendi desiderium excitabit. Dico porrò, parùm admodum id esse, nisi insuper speciale quoddam propositum concipias hoc modo: *Agedum ergò, non offendas posthàc ampliùs verbis illis amarulentis, & contumeliosis, quibus hic frater, hic Vicinus, aut Domesticus meus me quandoque proscindunt, nèque hoc, aut illo villipendio, quo ille me contempsit; imò è contra talia; & talia dicam, aut faciam ad eum mihi lucrandum, & emolliendum, & sic de alijs.* Hâc ratione fiet, *Candide*, ut brevi in tempore, defectus tuos corrigas; quos aliàs ægrè admodum per solos affectus extirpares.



## DE SEPTEM VERBIS

CHRISTO in Cruce prolatis.

I. *Verbum.*

Ave JESU, qui mactaris,  
Sed tortorum, deprecaris

*Patrem culpæ parcere,*

Promptè fac nos indulgere,

Nec vindictam exercere

Corde, verbis, opere. *Pater, & Ave.*

II. *Verbum.*

Ave JESU, qui latroni

Pœnitenti, summi boni

Promisisti *gratiam;*

Tali nos contritione,

Nunc, & mortis in agone

Fac mereri veniam. *Pater, & Ave.*

III. *Verbum.*

Ave JESU, qui præsentem

Cruci *Matrem*, heu, dolentem

Commendas *discipulo!*

Pari nos tuere curâ;

Per te constet mens secura

Quovis in periculo. *Pater, & Ave.*

IV. *Verbum.*

Ave JESU, qui dixisti

Pater quid me *reliquisti*

Tantis in supplicijs?

Ne



Ne nos linquas, ut ruamus,  
Semper tecum persistamus

Fortes in angustijs. *Pater, & Ave.*

*V. Verbum.*

Ave JESU, qui testaris  
*Sitim*, sed, heu, quô potaris,

Tu qui pascis omnia!

Fac æterna nos *sitire*,  
Mundi, carnis fastidire

Fugitiva gaudia. *Pater, & Ave.*

*VI. Verbum.*

Ave JESU, consummasti

Jussa Patris, & donasti

Tua nobis merita.

Benè fac nos inchöare,

Sed & plenè consummare

Tua beneplacita. *Pater, & Ave.*

*VII. Verbum.*

Ave JESU, qui Sermonem  
Morte claudens, & agonem

Patri tradis *animam*.

O mors tua nos emundet,

*Vitam* bonis, fac, facundet,

Mortem det tutissimam.

*Pater, & Ave.*



## SALUTATIONES

AD

*Quinque CHRISTI Vulnera.**Unà cum*

Petitione præcipuarū Virtutum

Ad Vulnus dextri Pedis.

*Pro Humilitate.*

Salve Vulnus gratiosum  
 CHRISTI fluens Sanguine,  
 Cor da mihi fructuosum,  
 Vacans omni crimine.  
 Simplex, Humile, zelosum,  
 Imò gaudens Ordine.

*Pater, & Ave.*

Ad Vulnus sinistri Pedis.

*Pro Castitate.*

Salve plaga peramcena,  
 Profluens solatiò,  
 Per te fiat in me plena  
 Carnis castigatio.  
 Casto tibi mens serena  
 Jungat se consortiò.

*Pater, & Ave.*



## Ad Vulnus Manûs Dexteræ.

*Pro Obedientia.*

Salve, rubens ex cruore

JESU, plaga dexteræ.

O fac tua cum feruore

Jussa quæram properè:

Geram Corde, promam ore,

Præstem promptus opere.

*Pater, & Ave.*

## Ad Vulnus Sinistræ.

*Pro Mansuetudine.*

Salve levæ Vulnus CHRISTI,

Sanguine purpureum.

Fac me quovis casu tristi

Mitem, &amp; pacificum;

Cunctis, quos tu redemisti

Lenem, ac benevolum.

*Pater, & Ave.*

## Ad Vulnus Cordis.

*Pro Charitate*

Salve scissum cum dolore

JESU cor dulcissimum.

Nobis patens ex amore,

Præsta cordis gaudium;

Det virtutum cum splendore

Charitas incendium.

*Pater, & Ave.*



*Ad Septem Effusiones,*

## I. In Circumcisione.

*Contra Luxuriam.*

Ave JESU qui cruorem  
Tener fundis, & laborem  
Subis ab Infantia.

Ut servemur à peccatis,  
Cor, os, sensus puritatis  
Fac ornari gratiâ.

## II. In Agonia.

*Contra Superbiam*

Ave JESU, quo sudore  
Mades orans, quo pavore  
Nostra tuis vitia!

Fac non altum Sapiamus,  
Sed, & casum timeamus  
Junctum cum *Superbia*.

## III. In Flagellatione

*Contra Iram.*

Ave JESU laniatus,  
Diris flagris, nil turbatus,  
Stas perfusus sanguine.

O fac nobis Crux dulcescat  
Vincens *Iram* mens mitescat,  
Tetro vacans crimine.



## IV. In Coronatione.

*Contra Gulam.*

Ave JESU, Coronatus,  
 Heu quàm largâ purpuratus  
 Stas cruoris copiâ!  
 Trahat Sursum Spiritualis  
 Nos voluptas, *non Carnalis,*  
 Ventris ad obsequia.

## V. In Vestium Detractione.

*Contra Avaritiam.*

Ave JESU dum nudaris  
 Refricatis cruentaris  
 Graviter vulneribus,  
 CHRISTE tibi fac, jungamur,  
*Nudi nudum* te sequamur,  
 Liberis affectibus.

## VI. In Crucifixione.

*Contra Acediam.*

Ave JESU, qui transfossis  
 Cruce membris, plenis fossis  
 Sacrum fundis Sanguinem  
 Ardor tui fac amoris  
 Urat nos, & vi fervoris  
 Arceat *torpedinem.*

## VII. In





*Contra Invidiam.*

Ave JESU qui Sacratum  
 Cor das nobis dilatatum,  
 Fontem pandens Gratia.  
 Aqua lavet, Sanguis ornet,  
 Et nos duplex amor formet.  
 Nescios *invidiae*.

*En facillimum, homini utilissimum, & DEO  
 gratissimum modum recolendi quotidie Passionem  
 Domini nostri JESU Christi, cujus mysteria facile,  
 & cum magno fructu animæ ad perfectionem  
 aspirantis, hæc methodo revocantur in memoriam.  
 Saltem tu, Candide, hæc, vel simili devotiunculâ fre-  
 quenter inspice vulnera pendentis; Sangui-  
 nem morientis; Caput habet inclinatum ad  
 osculandum; Cor apertum ad diligendum;  
 Brachia extensa ad amplectendum; totum  
 Corpus expositum ad redimendum. Hæc  
 quanta sint cogita. Hæc in statera cordis ap-  
 pende: ut totus tibi figatur in corde, qui to-  
 tus pro te fixus fuit in Cruce. Hæc S. Augu-  
 stinus.*



Me-



*Medium III.*

Die Dominico, dices

**H Y M N U M S U P P L I C E M**

*AD*

**S S. T R I N I T A T E M**

*PRO IMPETRANDO*

*Amore DEI per modum Rosarij*

*trium Decadam: sequentes Strophas recitando.*

*Decas prima.*

§. I.

1. O T R I N I T A T I S U N I T A S !

O U N I T A T I S T R I N I T A S !

Tu cor petis, cor accipe,

Eique, quod vis, præcipe.

2. O Una semper T R I N I T A S !

O Trina semper U N I T A S !

Ter Optimi, ter Maximum

Amoris O Mysterium !

*Gloria Patri, &c.*

Ignis, DEUS, ter Optime!

Amor, DEUS, ter Maxime!

Amore me ter Optimo

Exure, terque Maximo!

*Gloria Patri, &c.*

H

4. Da,



4. Da, mi DEUS, Te diligam!  
Te diligam; me corrigam!  
Me corrigendo diligar;  
Te diligendo corrigar.

*Gloria Patri, &c.*

5. Fac, mi DEUS, Te, fac, amem,  
Amoris illam da famem:  
Ut esurire Te sciam;  
Mundi famem fastidiam.

*O Trinitatis, &c, Gloria Patri &c.*

6. Te credo, spero, diligo!  
Amoris escam colligo,  
Per cuncta, quæ considero;  
Tibi cor istud offero.

*O Trinitatis, &c. ut supra*

7. Ubique Te solùm VOLO!  
Amoris alis evolo:  
Ut apta ligna conferam,  
Et hunc in ignem congeram.

*O Trinitatis, &c. ut supra*

8. Fons optimæ dulcedinis!  
Abyssus altitudinis!  
Volo cor ad Te pandere,  
Et semper ad Te scandere.

*O Trinitatis, &c. ut supra*

9. Hic hic habetur Optimum,  
Hic omne, quod pulcherrimum,  
In luce claritudinis  
In fonte pulchritudinis.

10. Ah!



10. Ah! quidquid est amabile,  
 Et quidquid est æstimabile!  
 A Te venit, per Te placet,  
 Te prædicat, licet tacet! O Trini-  
 tatis, &c. Pater, & Ave.
- 

## §. II.

*Veni S. Spiritu, &c. Cum Orat.*

Decas 2da.

1. **F**AC, ut timens Te diligam,  
 Et exequi non negligam,  
 Quod optimum putavero,  
 Tibique gratum scivero.

*O Trinitatis, &c.*

2. Cor hoc benignus aspice  
 Amore semper auspice  
 Ut inchoet, quod inchoat,  
 Et inchoata finiat.

*O Trinitatis, &c.*

3. Doce, doce me cernere,  
 Quid sit semel Te perdere!  
 Qui peccat, heu! mortaliter!  
 Peribit immortaliter!

*O Trinitatis, &c.*

4. Quod suadet hic tentatio,  
 Dissuadet hoc damnatio,  
 Quæ nunc placent, momenta sunt;  
 Æterna post tormenta sunt. O Trinit.



5. Dum me doces timere Te,  
Tunc me doces amare Te!

Amor tuus quem sic docet,  
Illi nihil mali nocet.

*O Trinitatis, &c.*

6. Qui sic amando Te timet,  
Securus est; nihil timet.

Te qui timendo sic amat;  
Te quærit, optat, æstimat.

*O Trinitatis, &c.*

7. Per omne, quod Te diligit,  
Per omne, quod intelligit,

Quâ granditate magnus es!  
Infinitate grandis es:

8. Per omne, quod Tu diligis  
Tuæque forti diligis,  
Fac omnibus Te præferam,  
Nunquamque jam Te deseram.

*O Trinitatis, &c.*

9. Ah pœnitet, quòd Optimum  
Mihique præsentissimum

Offenderim Te, mi DEUS!  
Pater meus, finis meus!

*O Trinitatis, &c.*

10. MEDULLA felix OPTIMI!

IDEA pulchra MAXIMI!

Quam pulcher es, quàm dulcis es!  
Amore quanto dignus es!

*O Trinitatis, &c. Pater, &c. Ave.*



## S. III.

*Veni Sancte Spiritus, &c. ut supra.*

*Decas 3tia*

1. **I**Mple meum cor lachrymis  
Amore sed plenissimis!

Ah quæso, ne me deseras  
Sed me dolore conteras.

*O Trinitatis, &c.*

2. Flammam fove, quam sentio,  
AMORIS IN SILENTIO.

Cor istud à Te conditum  
In Te tene reconditum.

*O Trinitatis, &c. Gloria Patri, &c.*

4. Tu nos tepentes excita!  
Cor dormiens exfusa!

Nostris malis nos exue!  
Tuis bonis nos indue!

*O Trinitatis, &c. Gloria Patri, &c.*

5. Quis es, DEUS! DEUS, quis es?  
Sublimis es, profundus es  
Virtus inæstimabilis!

Summis modis amabilis!

*O Trinitatis, &c. Glora, &c.*

6. Præsens, potens, immensus es!  
Intus, forisque totus es!

O me videns immensitas!  
Cor terminans Infinitas!

*O Trinitatis, &c.*



7. Tu summus es potentiâ!  
Sed non minor clementiâ!

Nec plus potens es PERDERE,  
Quàm sis potens IGNOSCERE!

*O Trinitatis, &c.*

8. AMOR, cor istud INSTRUAT:

Malique fontem destruat:

Et arte poenitentiae

Pandat fluenta gratiae.

*O Trinitatis, &c.*

9. *ψ.* Benedicamus Patrem, & Filium cum  
S. Spiritu.

*℣.* Laudemus & super exaltemus eum in  
saecula. *Gloria Patri, &c.*

10. Benedictio, claritas, sapientia, & gratia  
rum actio, honor, virtus, & fortitudo  
DEO nostro, (a)




Cætera ad excitandam, & fovendam Pietatis  
*Flammam* accomodata *Media* (quæ hinc  
brevitatis causâ omittuntur) *Benevolus Lector*  
in fonte ipso quærat. Mihi ea hinc indigitasse  
esto.


(a) Legatur Exer. Amoris ad SS. Trinitatem  
apud Landsperg. pag. 427.



*Die Lunæ.*

Dives animarum in purgatorio penu; *Suffragia* Ecclesiæ, & *merita* Christi. *Requiem eternam* a quod DEUM exora defunctis, à quo omnia bona sunt, ut per mortem, & *merita* acerbissimæ *Passionis* Domini nostri JESU Christi lux æterna eis luceat. Id ipsum & per *intercessionem*, ac 7. dolores *Matri* *Misericordiæ* petes.  *Vide hic pag. 105. Salutationes ad 5. vulnera Christi & Supplicationes septenas, in Palmeto cœlesti: & alibi alia suffragia.*



*Die Martis.* *Fœdus Angelicum.*  *Vide Annum Cœlestem R. P. Joannis Nadasi in fine mihi pag. 577.*



*Die Mercurij.* *Aurea clavis ad ærarium Cœlestium gratiarum tenera erga S. Josephum devotio. Ut, quod nostra possibilitas de se non meretur, per intercessionem ejus nobis donetur. Affirmat quippe S. Theresia; Se nihil non impetrâsse meritis*



S. Josephi. *Et quid dicam?* (a) Hic S. Josephus fuit Mariæ Sponsus, & JESU nutritius parens. Hæc ubi quis dixerit, hic una paucis ejus Elogium absolverit, & mille eum colendi motiva adduxerit, necesse est. Et, quod omnes ejus prærogativas, ac felicitates, excedit, illud est. In brachijs JESU, & Mariæ expiravit. O mors suavissima! ô fors mortalibus unice exoptanda! Vis ita mori? ita vive. Josephum imitare, Josephum cole. Ad Sanctitatis apicem brevi perveniet, qui Sanctum hunc imitatus, DEUM præsentem, ac singula videntem semper Cogitaverit. Ejus ergo exemplo nunquam separeris à Christo, eum testem habeas omnium actionum tuarum, & cum eo sæpius colloquaris. Aurea hæc devotio, aurea est clavis ad ærarium Coelestium gratiarum. Hoc Sancti ejus Amatores, qui modo Cælum incolunt, magno suo bono didicerunt. Hoc omnes illi devoti, qui adhuc sunt in vivis, intelligunt; qui diem, ac horam illam satis laudare, ac de prædicare non valent, quâ primam erga eum pietatem conceperunt.






Die Jovis. Convivium prodigiosum, quod nobis parat DEUS in Sacramento Eucharistiæ.

19. Junij Paulus Segneri in suo manna Cœlesti.

(a) Joannis c. 21.




 Die Veneris. Horologium Passionis Domi-  
 nicæ  Quare apud R. P. Leonardum Lessium  
 in posthumo ejus Libello de 50. Nominibus DEI  
 pag. 118. vide hęc pag. 106. 108. 110.


 Die Sabbati. Mariani cultûs stipendium,  
 magnum in mortis agone solatium.

O Si nôsses, quantum in morte afferat so-  
 latium Deiparam singulari studio coluisse! Di-  
 cebat quidam Mariophilus ( alteri adstanti ) te-  
 nerrimâ plenus lætitiâ ( a ) Est námque idem  
 MARIE dilectum esse, quod Electum. Idem  
 à MARIA amatum, puod beatum. Expertus  
 est id S. Stanislaus S. J. in sua S. morte. Vide  
 vitam. Expertus quòque est, & etiamnum ex-  
 peritur continuo Universus Ordo nôster, qui ( b )  
 Cœlesti visione certus redditus est, nunquam ei  
 MARIE Tutelam defuturam, si ejusdem Officium  
 quotidie recitaverit. Consilio paret; Officium quo-  
 tidie recitat; & feliciter sibi promisso præsidio  
 gaudet, etiam in severa religiosa vite disciplina  
 liquido tranquilla conscientia gaudio abundans.

H 5


Devo-

( a ) Nadasi 2. Febr. ( b ) Teste Theodoro Pe-  
 trao in Chronic. Carth. c. 9.




\* \* \*


## *Devota Aspiratio ad B. Virginem*

**S.** MARIA spes, & refugium peccatorum, da, ut sic te colam in vita; ut aliquando mors mea sit DEO, & tibi gloriæ; mihi hinc migraturo, solatio; alijs exemplo.  23.  
*Octobr. Franc. Nepueu. & alibi.*




*Medium commune.* Suam quisque Crucem patienter ferat.  *Apud R. P. Joannem Stephanum Grossez S. J. pag. 408.*



*Medium Particulare. Pro Singulari cuiusque Devoti affectu. v. g. ( ut à primo Alphabeti elemento A initium, & specimen sumamus )* vocaris fors de nomine Andreas, *Exemplò S. Andrea Apostoli bono, leto, forti, ac parato animo crucem tuam, & omnia tibi occurrentia adversa excipe. Nam quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur, ait Philosophus. Hoc videre est etiam in creatis; Hoc DEUS ipse probat ( in beatis )* dum cruce Sanctus Andreas ovat.  30. *Novembris Grossez Cit. Alter alterius nominis, sui S. Patroni vitam emulabitur.*



*Lectio Spiritualis.* Diligens, & constans Asce-  
 tarum Lectio, & quotidianus saltem aliqualis  
 usus.  *Lege Ven. P. Joannem Justum Land-  
 spergium in pharetra divini amoris. De triplici  
 cruce ad devotam animam. pag. 197. Item pag.  
 334. de sustinenda cruce. Ac tandem pientissi-  
 mi Thomæ Kemp. libellum de Imitatione Christi  
 per totum. Speciaticim Lib. 2. c. 11. & 12. Exe  
 considerata horum Lectitattone, nullus dubito, evi-  
 brabuntur in cor Lectoris Divini Amoris scin-  
 tillæ, quæ exanimatum Afflictæ Animæ animum  
 feliciter ipsò Promotheo animabunt. Servit hic  
 Libellus pro Lectione Spirituali.*



## §. I.

*Non fore abs re, duxi, ponere hunc*

## MONITUM.

S. FRANCISCI SALESII

*Ex ejus Maximis excerptum ad  
 superiores.*

**I**Nterrogatus aliquando hic Sanctus à Præ-  
 latis Regularibus, quomodo ij possent suo  
 muner



muneri præesse, & satisfacere sine præjudicio propriæ Animæ : reposuisse fertur ; se non habere aliud Secretum, quàm, ut servent sui Ordinis, & Officij Regulas : Et, ut eas à suis subditis accuratè observari faciant, semper tamen cum summa discretionè, paterno affectu, & modo tali, ut vivo potius exemplo urgeant Disciplinam religiosam Domûs, quàm severo præcepto : Sæpe ad DEUM in corde suspirantes.

*O DELIS! aut nullo caleat mihi pectus ab igne,  
Aut Solo caleat Legis amore tuæ.*

☞§§☞ Aliàs idem dicebat : ☞§§☞

*Superior debet incedere in quadrivio, seu supra quatuor lateres : Quorum I. Sit Zelus II. Suavitas. III. Prudentia. & IV. Doctrina. Legantur ejus Maximæ, & Reflexiones. C. 19. §. 1. n. 15.*

*Et scintillæ Asceticæ. Anno 1703. Monachij editæ (a) ac præsertim seq.*

N. 108. Si imperas, memento te esse hominem, & hominibus imperare. Per primum disces *Humilitatem*. Per secundum *Humanitatem*. Utrâque virtus imperantibus necessaria, subditis utilis,

N. 110. *Hanc lege in Authographo ipso.*

N. 112.

(a) à quodam è S. J.



N. 112 Qui alios regit, amet *virtuosos*, & faciat se à virtuosis amari. Omnes audiat, & audiendo virtuosos ab *Adulatoribus* discernat. Illi *disciplinam* quærunt, isti *se*.

N. 115. Si quem, quocunque modo, punis, nunquam puni tantum, ut puniatur, sed ut emendetur. Et ita puni, ut advertat, non se puniri, ut sibi malè sit, sed, ut melior fiat.

Item N. 118. 121. 125. 128. 132. 136. 138.

N. 141. Superior etiam in hoc DEUM referat, quod nemini ultra meritum faveat, ultra demeritum nulli infestus sit. Illud invidiam, hoc desperationem concitat.

N. 167. In omnibus cogitationibus, verbis, & operibus tria examina: An *liceat*? an *deceat*: an *expediat*. Uno horum deficiente nihil aggredere, &c.

☉:☉ ☉:☉ ☉:☉):(☉ ☉:☉ ☉:☉

*Cruce Christi clavis Paradisi. Chrys.*

## EPIGRAMMA.

In *claves* & *oruces* conjunctas alicujus superioris nomine ANDREÆ.

*Cruce* (ardui muneris) *clavis ad astra*.

Quòd Deus adjunxit *crucibus* pro munere *claves*  
Hinc est; ut speres regna futura poli.

Cruce



*Cruce* etenim Christi clausum referavit olympū.

Ergo vi meriti, *Cruce* tibi pandet eum.

*Clavibus & crucibus* passim stant astra reclusa,

Audis? exulta! *Cruce* tibi *Clavis* erit.

Nunc scis, quòd *Cruce* sit *Generalis* ad omnia *Clavis*

Cùm quæcunquè *libet*, sic referare *licet*.

O bona igitur *Cruce*, quæ nobis cœli pandis  
ostia!

Epigrammati subjunguntur duo *Arcana Ascetica*  
contra deliquia animi ex consideratione pro-  
priae *Crucis* orta.

1. Nulli patebit cœli Janua, nisi in ipso Vesti-  
bulo dignum cœlo facinus exhibeat. Nunc,  
quæso te, dic, quid ex omni vita tua cœ-  
lo dignum exhibebis? fac adhuc hodie,  
quod exhibeas, ne forsan hodie excludaris  
â cœli limine.

2. Ut nihil quod patiaris habeas, in tua non  
est potestate. Ut verò quod pateris, bene  
patiaris, in tua est potestate cum adiutorio  
Altissimi. Pati aliquid debes; tantum cura,  
ne frustra, ne sine merito, ne cum damno.  
*Hoc fac, & latus in Domino vives semper.*





# CULTUS

S. P. N.

# BRUNONIS

SEU

# OFFICIUM PARVUM

De eo.

## *AD MATUTINUM.*

Pater noster, & Ave Maria, &c.

### *Invitatorium.*

Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

℣. Domine labia mea aperies.

℞. *Et os meum annuntiabit laudem tuam.*

℣. DEUS in adjutorium meum intende.

℞. *Domine ad adjuvandum me festina.*

Gloria Patri, &c. *Alleluja.*

*A Septuagesima usque ad Pascha dicitur: Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.*

*Hym.*



*Hymnus.*

**BRUNO** natus Agrippinæ,  
 Vir mirabilis doctrinæ  
 Floruit Lutetiæ.  
 Doctor Juris Laureatus,  
 Est Canonicus creatus,  
 Rhemensis Ecclesiæ.  
 Cathedrali sed in Templo,  
 Tristi didicit exemplo  
 Cœli sapientiam.  
 Dum ex feretro surgebat  
 Doctor quidam, & ferebat  
 Propriam sententiam,  
 Quem credebat plebs Beatum,  
 Clamat esse se damnatum  
 Horrendo oraculo.  
**BRUNO**, cui probè notus  
 Doctor ille, fit commotus  
 Tam tristi spectaculo.  
 Judex summæ æquitatis,  
 Rex tremendæ Majestatis  
 Fac nobis, fac gratiam!  
 Per **BRUNONEM** te precamur,  
 Ut, quam fecit, amplectamur  
 Strictam pœnitentiam.

*Antiph.* Contristatus sum in exercitatione mea,  
 & conturbatus sum à voce inimici, & à tri-  
 bulatione peccatoris.

ÿ. C

R. T

ÿ. O

R. U

O M  
t

elevat

jussist

temp

pitiùs

coron

ad in

perve

JESU

ÿ. D

R. D

(a) P



Ÿ. Cor meum conturbatum est intra me, & formido mortis cecidit super me. (a)

℞. *Timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* (b)

Ÿ. Ora pro nobis B. P. BRUNO.

℞. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

## O R E M U S.

**O**Mnipotens sempiterne DEUS, qui B. Patrem BRUNONEM Confessorem tuum elevatum à mundi tumultibus tibi soli militare jussisti, & in solitudine viventem altissimæ contemplationis munere sublimasti: concede propitiùs, ut sicut eum tua vocatio perduxit ad coronam ita nos ejus intercessione accendas ad imitationem, ut ad veram pœnitentiam pervenire mereamur. Per Dominum nostrum JESUM, &c.

*Ad Primam.*

Ÿ. DEUS in adjutorium meum intende.

℞. *Domine ad adjuvandum me festina.*

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

**BRUNO** subsequenti die

Docuit in scholis piè,

Quid sit mundi *Vanitas.*

I

Quàm

(a) *Psal. 54. v. 5.* (b) *ibid. v. 6.*



Quàm caduca sit hæc vita,

Quàm mox longa, & infinita

Sequitur *Æternitas!*

Et de turba Auditorum,

Traxit secum Sociorum

Sex Alumnos, *Plejades.* (a)

Quos in horrida Eremo

Loco Alpium extremo

Collocavit *Hyades.* (b)

Ad præruptam, salebrosam,

Sylvis undique umbrosam

Duxit solitudinem.

Ut angustas vias poli

Terant; noti Christo soli;

Gustent beätitudinem.

O Beata *Solitudo!*

Sola ô *Beatitudo!*

Ad quam BRUNO volitat.

In qua loquens tu es Christe,

Nihil durum, nihil triste,

Sed pax cordis latitat.

*Antiph.* Fugite de medio Babylonis, & salvet  
unusquisque animam suam. (c)

Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi,  
& bene patientes erunt, ut annuntient. (d)

ψ. Quis

(a) Sunt 7 pluviae Stella: per quas Hieroglyphicè designantur Socij S. B. (b) Stella nivosa in capite Tauri. (c) Jerem. c. 51. v. 6. (d) Psal. 91. v. 15. (a)



✠. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, &  
volabo, & requiescam. (a)

℞. *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.*

℞. Ora pro nobis, S. P. Bruno, &c.

O R E M U S.

Omnipotens, &c.

*Ad Tertiam.*

✠. DEUS in, &c. ℞. *Domine, &c.* Gloria Pat. &c.

*Hymnus.*

**D**icunt: *Nunc Parisienses,*  
*Nunc vos Scholæ Sorbonenses,*  
*Nunc valete populi.*

Cum ad Alpes pervenerunt,  
Mox Hugonem accesserunt  
Præsulem *Granopoli.* (b)

Sacer urbis hic Antistes  
Somniando vidit mystes  
Septem stellas fulgidas.

Supra suos montes stare,  
Et hunc mundum illustrare,  
Ac fugare tenebras.

Manè somno excitatus,  
Est BRUNONEM amplexatus,  
Mirâ gratitudine.

Annuendo Sacris votis  
Jllum locis in remotis  
Ditat solitudine.

(a) Psal. 54. v. 7. (b) Pro Gratianopoli.

So-



Solitudo hæc quæsitæ

A BRUNONE expetita;

Qualis, heu! asperitas!

Non est tamen hanc pertæsus

Quia suavitatem ipsam Jesus,

*Via, vita, veritas.*

*Antiph.* In lætitia egrediemini, & in pace deducemini: montes, & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu. Pro salicibus ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus. (a)

ψ. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atriis Domini. (b)

℞. Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus, & Deus meus.

O R E M U S.

Omnipotens, &c.

*Ad Sextam.*

ψ. DEUS, &c. ℞. Domine, &c. Gloria, &c.

*Hymnus.*

HÆc dum BRUNO cogitavit,

Mox Carthusiam fundavit,

DEO, cum delicio.

(a) *Isaia. c. 55. v. 16.* (b) *Psal. 83. v. 1.* Cor-

(a)



Corpus suum subjugavit

Artus ejus refrænavit

Asperô ciliciô.

Carnem suam maceravit,

Et flagellis laceravit

Strictâ pœnitiâ.

Meditando, & Orando,

Vigilando, jejunando

Mirâ abtinentiâ.

Fratres suos confortabat,

Et exemplo confirmabat,

Hâc in solitudine.

Quæ, jam illis erat, visus

Velut novus Paradisus,

Plenus Pulchritudine.

Cum Carthusia jam staret,

Et desertum germinaret,

Velut candens *Lilium*.

Indefessè laborando,

Et medullitùs amando

JESUM DEI *Filium*.

*Antiph.* Sedebit solitarius, & tacebit, quia levabit se supra se. (a)

*ÿ.* Operui in jejunio animam meam, & factum est in opprobrium mihi. (b)

*R.* Posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam.



ψ. Domine exaudi, &c. R. *Et clamor, &c.*  
*Oremus.* Omnipotens, &c.

*Ad Nonam.*

ψ. DEUS, &c. R. *Domine, &c.* Gloria, &c.

*Hymnus.*

DUM florebat Solitudo  
 Excrescebat Sanctitudo  
 Jam BRUNONIS Inclyti.  
 Fama Romam hæc volavit,  
 Et ad papam penetravit  
 Instinctu Paraclyti.  
 Hic BRUNONEM advocavit,  
 Quondam multum quem amavit  
 In scholis Sorbonicis.  
 Ejus, Curia Romana  
 Uti vult Doctrinâ sanâ,  
 In Ecclesiasticis.  
 Romæ, quasi lux, amore  
 Papæ, servit cum decore,  
 Et fructu utiliter.  
 Inde ex virtute rarâ,  
 Dignus visus est Tiarâ  
 Quam fugit humiliter.  
 Nam honorum dignitates,  
 Tanquam meras *vanitates*  
 Ille pridem spreverat.



Heu honores mutant mores!

Præfer his cœli favores,

BRUNO sic fecerat.

*Anáiph.* Educet quasi lumen justitiam tuam,  
& iudicium tuum tanquam meridiem,  
subditus esto Domino, & ora DEUM:  
delectare in Domino, & dabit tibi pe-  
titiones cordis tui,

Revela Domino viam tuam, & spera in eo,  
& ipse faciet. (a)

Ÿ. *Omnes*, qui viderint eos, cognoscent illos.

R. *Quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.*

Ÿ. Ora pro nobis, &c. R. *Ut digni, &c.*

Oremus, Omnipotens, &c.

### *Ad Vesperas.*

Ÿ. DEUS, &c. R. *Domine, &c.* Gloria, &c.

### *Hymnus.*

BRUNO Romæ cum mansisset

Aliquantum, & dedisset

Inclyta consilia.

Solitudinem amabat,

Et ad vasta anhelabat

Eremi sedilia.

Solitudinis amore,

Rogat Papam cum feruore

Sancta pro licentia.



Ad Calabriae desertum,  
Elongavit cor expertum  
Amica silentia.

Hic quievit; huc volavit,  
Hic se super se levavit  
Mente solitarius.

Ejus, Comes, Sanctitatem  
Vitæ, & integritatem

Cognovit Calabrus.

Qui Carthusiam hic struxit,  
In quâ BRUNO suis luxit

Sicut poli facula.

Hic crescebat instar Lauri,  
Et fulgebat instar Auri

Absque ulla macula.

*Antiph.* Lætabitur deserta, & invia, & exul-  
tabit solitudo, & florebit quasi lilium.  
Germinans germinabit, & exultabit  
lætabunda, & laudans. Gloria Liba-  
ni data est ei, decor Carmeli, & Sa-  
ron ipsi videbunt. (a)

Ÿ. Plantati in Domo Domini, in atrijs domus  
DEI nostri florebut.

Ÿ. Ora pro, &c. Oremus. Omnipotens, &c.

### Ad Completorium.

Ÿ. Convertite nos, &c. R. Et averte, &c.

Ÿ. DEUS

(a) *Isaiæ c. 35. v. 1.*



y. DEUS in adjutor. &c. R. Domine ad ad. &c.  
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

DEUS denique BRUNONI  
Ut insigni militoni  
Præparavit lauream.  
Qui de mundo triumphanti  
Et ad gaudia intranti  
Dat coronam auream.  
Ejus vitæ Sanctitudo  
Quâ gaudebat solitudo  
Claruit prodigijs.  
In deserto fons est manans  
Quosvis ægrotantes sanans,  
Corporis à vitijs.  
Vis BRUNONIS lachrymarum  
Dedit terris hunc aquarum  
Medicum fonticulum.  
Per quem homines languentes  
Et salutem sitientes  
Habent adminiculum.  
Sit laus tibi DEUS BONE,  
Qui LAUDARIS IN BRUNONE,  
Et SANCTIS MIRABILIS.  
Da BRUNONEM hunc sequamur  
Et sequendo amplectamur  
Te Jesu amabilis.



*Antiph.* Vitam petijt â te, & tribuisti ei Domine  
longitudinem dierum in sæculum sæ-  
culi, gloriam, & magnum decorem  
imposuisti super eum. (a)

Ÿ. Beati, qui habitant in domo tua Domine.

R. *In sæcula sæculorum laudabunt te.*

*Oremus, &c.* Omnipotens, &c.

### *Commendatio.*

**L**Audes tuas concinendo

Sancte BRUNO recomendo

Tibi meum spiritum.

Confer donum lachrymarum,

Ne hoc præsens gratiarum

Fluat tempus irritum.

Me converte peccatorem,

Fac intrinsecus dolorem

De peccatis sentiam.

Donum da compunctionis,

Ut in die ultionis

Merear clementiam.

Dúmque gaudes, DIVE BRUNO,

DEO Trino simul Uno,

Patre, Gnato, Flamine,

Intercessor noster esto,


Et Auxiliator mæsto

Mortis in examine, Amen.

VITA

(a) *Psal. 20. v. 5.*





# VITA, & CONVERSIO

S. P. N.

# BRUNONIS,

*Ejusdemque*

Sac. Religionis initia, à Ven.

P. Zacharia Benedicto Vicentino

Carthusiano, heroico carmine conscripta, &

in 7. Cap. metricè partita.

*Nostra nec erubuit sylvas habitare Thalia. Virg.*

6. Eclog.

## CAPUT I.

**Q**uis Carthusiaci jecit Fundamina primū (a)

Ordinis & quæ causa illi, vis nôsse Viator?

Historiam hanc sequere, hos etiam tu perlege

versus:

Fructū si quæras aderit compunctio sancta. (b)

In Senonum planis urbs præstantissima campis,

Em-

(a) *Proœmium in vitam ab Historia* (b) *Aggressio à*

*Topographia, seu à descriptione.*



Emporium Sophiæ turrito vertice surgit.

Quam Parides fugiens Trojana incendia, fertur

Extruxisse: patrisque memor dixisse Parisos

Cultores: illisque insignia, & arma dedisse:

Sequana, vorticibus quâ multis alluit arces,

Et peregrina suas transmittit ad æquora merces.

Hîc est assiduo fœcunda Academia cultu: (c)

Huc & Cecropidûm translata est Pallas ab oris.

Missâque de summis ingens sapientia rebus.

Hîc ita clarus erat virtutibus omnibus, atque

His disciplinis (*quæ libera tempora poscunt*)

Doctor: ut ascenso suggesto sive Cathedrâ,

Esse videretur magni vox inclyta Pauli.

Atque verecundis in moribus alter Jöseph.

Hunc veluti cœli Divûm de culmine lapsum,

Totus adorabat populus, namque ille sacerdos.

Inclyta Virginei post incunabula partûs, (d)

Elapsis annis mille octoginta duobus,

Contigit huic homini postremum claudere

tempus,

Atque subire grave imperium, jura aspera lethi.

Jamque jacet vivo gelidû sine sanguine corpus.

Rumor ubiq; strepit, dolor anxius undiq; mansit.

Et gemini sexûs resonant lamenta per urbem.

Heu! bonus interijt Pastor vir sanctus obivit.

Per fora clamabant, nemo dabit amplius illa

Docta

(c) *Lutetiam facit traducem Atheniensium.*

(d) *Chronographia. An. 1082.*



Docta salutiferi sermonis, & aurea verba.

Funeris interea lugubris pompa paratur. \*

Exequiæ multo fiunt, & nœnia fastu.

Conveniunt passim Cives, Clerus, Schola tota,

Docta cœit, crepitant ex ictibus æra sonoris.

Fertur honoratum majora ad templa cadaver,

Marmore sub pario condendum, & aromata

subter,

Triste sacerdotes recitando in carmine Fatû.

Ardentes faculas, & cerea lumina portant.

Procedunt querulæ longo simul ordine turmæ:

Atque vias omnes nigro velamine complent.

Accidit inter tot res admiranda relatu. (e)

Judicium Cœleste, & formidabile cunctis.

Et sanè ipsa DEI sententia grandis abyssus,

Cûi soli detecta manent abscondita cordis.

Quos sibi delegit, vel quos privavit olympo.

Solus habet notas: Solus discrevit ab ævo.

Nos homines cæci rerum Secreta videmus, (f)

Sicut Apollineum discernit noctua lumen.

Ecce sub argento, qui portabatur, & ostro,

Mortuus, & tanto fuerat cumulatus honore,

Cum foret ad Fanum sublimi in molle locatus,

Quo melius posset cerni, cunctisque pateret:

*Responde mihi dum legitur: res ecce stupenda.*

Eminùs attollit vultus, exanguaque pectus,

Ac

[\*] *Hypothiposis funebris pompa.* (e) *Judicia Domini abyssus multa.* Psal. 35. v. 7. (f) *Gnome à Collatione.*



Ac circumspiciens torvo cum lumine turbas, (g)  
 Clamore horribili feretro sic dixit ab alto:  
 Consilio superùm secreto, & legibus æquis,  
 Heu me, accusatus peto iudicis ora tremendi,  
 Deposuitque caput taciturus, & arida membra,  
 Contremuit primo aspectu, ac obmutuit omnis,  
 Cuncta silent, Cunctique pavent, plebs erigit  
 aures,

Prodigium infuetum vix credit mente labanti.  
 Stant pollinctores trepidi, & terrore subacti,  
 Audentq; exanimū min<sup>9</sup> hoc contingere corpus  
 Obriguere comæ, & tremulis vox faucibus  
 hæsit.

Ingentes strepitus post ipsa silentia fiunt.  
 Confusus sonitus vocum Juvenumq; Senumq;  
 Longiùs auditur: discurret fama per urbem.  
 Gens Agoræa venit properando vulgus anhe-  
 lat, (h)

Concava tépla crepant varijs rûoribus, & gens,  
 Nõ capitur, premitur pede pes, & tergore tergus,  
 Vi faciunt aditus, procumbunt cardine postes.  
 Hisque gradus summos, illi pinnacula scandunt:  
 Ut nova prospiciant isthæc miracula ab altô.

Extollens iterum liventia mortuus ora: (i)  
 Hucq; illucq; tuens oculis terrentibus omnêis,  
 Mu-

(g) *Justo DEI iudicio accusatus sum.* (h) *Agoræa gens, id est forensis.* (i) *Justo DEI iudicio iudicatus sum, id est presentatus.*

Mu:  
 Jud  
 Utq  
 Jma  
 Co  
 Hâc  
 Jnf  
 Exc  
 Atq  
 Qui  
 His  
 Sese  
 Jud  
 Hæ  
 A  
 Am  
 Ser  
 Dur  
 Tur  
 Atq  
 Sic  
 Par  
 Inf  
 Ah  
 Ind  
 (k)  
 eat



Mugitu insolito dixit: vœ! vœ mihi! namque  
 Judicium jam in me latum est à Numine sancto.  
 Utque prius jacuit, nullo cum murmure vocis,  
 Jma tremor gelidus, languorq; per ossa cucurrit  
 Corda pavent, trepidant pueri, terrentur & ipsi  
 Hâc novitate Senes: nuptarum implentur acutis  
 Infantùm, juvenùmque sacræ clamoribus aulæ,  
 Exorant veniam superos, & pectora tundunt:  
 Atque alijs alij suspensis auribus ajunt:

Quidnam hoc esse potest; hic Vir sanctissima  
 semper

His populis mandata dedit, vixitque probatè,  
 Sese accusatum tamen, ac audisse supremum  
 Judicium à superis miserandâ voce fatetur.

Hæc portenta aliquid certè mirabile signant.

An tumulo tradi sacrato debeat omnis (k)

Ambigit: ancipiti Præsul Venerabilis, urbi

Servari supra tellurem consulit, usque

Dum DEUS ex alto, quid sit, declaret agendum.

Tum rursû exanimus feretro caput extulit alto,

Atque infelicem se contemplando, locutus

Sic ait immenso luctu: grandique boätu: (l)

Parcite funeribus mihi nil prodesse valetis;

Infortunatum cur me genuëre parentes?

Ah miser æternos, vado damnatus ad ignes!

Indéque conticuit semper, jacuitque supinus.

Ex-

(k) Epiphonema.

(l) Justo DEI judicio condem-

natus sum.



EXTasis, & planctus turbas invadit, & omnis  
 Aedes sacra sonat gemitu varióque tumultu,  
 Fœmineis latè resonant ululatibus ædes.

Atque tenent postes amplexi, illique columnas:  
 Præ gravibúsq; oculis quasi somnia habere  
 videntur.

Mirantur tanti de perditione Magistri:

Mirárique satis nequeunt extincta fuisse

Tot bona, totque pios pro religione labores.

Protinus è Sacro benedictæ margine terræ

Perfusi lachrymis populi extraxère cadaver

Atque in telluris foveam clausère profanæ. (m)

Hinc sambucus olens oritur, tristisq; cicuta.

Oceanitidibus Titan se merferat undis,

Deliáq; albentes monstrabat ab æthere vultus,

Quando vulgus iners, cives, simul agmina docta

Mentibus attonitis in propria tecta redibant,

Languida cùm strato cessissent membra cubili,

In somnis vidère faces, dirásque figuras,

Errantes Erebo Manes, Furiasque trifornes:

Quæ quasi lethæum noctu incussère tremorem

Parrhilius nec adhuc horum est oblita dierum

Tempore àb hoc siquidem prorsus tremefacta

recusat.

(Respons.)

(m) Periphrasis noctis.



(*Responde mihi*) cantare hæc sed lectio quarta (n)

Incipit hîc. *Quantas habeo, &c.* res flebilis ævo!  
 Bruno Sacerdotû Splendor, Rectorq; scholarû,  
 Quem genuit celebri germana Colonia partu.  
 Vir pius, & sapiens, ac præstantissimus omni  
 Munere Doctrinæ, templi Rhemenfis Alumnus  
 Tunc sacra Parrhiæ genti documenta legebat,  
 Exequijs aderat multo comitatus honore:  
 Menteque conceptum nequiens celare doloré.  
 Talibus ostentis, mox ut sua septa petivit,  
 Solus inexhausto lachrymarû flumine planxit,  
 Hei mihi dicebat: væ! væ quia tempora trivi! (o)  
 Quid faciã demens? ex quo, qui ut Sanctus ab òni  
 Plebe colebatur, sic infeliciter ardet?  
 Ad loca Cerberei rictûs, immane barathrum,  
 Hîsq; animû verbis nunc hûc, nunc dividit illuc  
 Pervigil, in melius cupiens convertere vitam.

Mane scholas repetens Bruno, circumdatus  
 amplo (p)

Servorû numero Cathedrã conscendit, amictus  
 Cyclade lugubri, defixaque lumina terris  
 Fert, & erant multò rubra, atque tumentia luctu:  
 Qualia somni expers habet, ut crudelia dudum  
 Pervigiles inter noctes suspiria duxit:  
 Aggrediturque suos tali sermone sequaces:

K

In-

(n) ommissa lectio Off. Def. responde mihi. (o) Brun. planctus. (p) Bebazosis seu descriptio flebilis vultûs.



Innumerus quasi Coetus erat, tacitūsq; manebat:  
 Huc ego non veni facturū inania verba,  
 Haecenus humanis soliti rationibus uti, (q)  
 O Docti Juvenes omnes erravimus unā,  
 Sed fatis atque super: Divūm modò iussa se-  
 quamur.

Hūc veni, ut referā quid sentio: quodq; tenendū  
 Consilium duxi; quicquidve sit utile nobis,  
 Ut pedicas hujus sæcli fugiamus, & illud  
 Hesternæ lucis dirum, & miserabile fatum.  
 Quis, precor, ex nobis hominē pensasset iturū,  
 Ad styga? Cocytique, ardentia guttura tantis (r)  
 Moribus illustrem, tantōque nitore docendi  
 Perspicuum, & tantis naturæ dotibus alnum?  
 Vidimus, heu quantū nos lippi fallimur, & quot  
 Nostra per errores, versatur opinio fallax?  
 Quid miseris nobis longo peccantibus usu  
 Eveniet? si tanta homini damnatio perpes (s)  
 Est data? si in viridi ligno hoc factū est, quid in ipso  
 Arenti fiet? quæ nos vindicta moretur,  
 Cernite Discipuli dulces: librate parumper,  
 Quanta tot ingentes purgabunt Februa sordes;  
 hujus ad hoc etenim mundi sapientia nil est,  
 Et justum apparere foris, sanctūmque videri.

O Chari Comites, vestros miscrescite casus: (t)

Cer-

(q) P. Brunonis ad suos Oratio parænetica (r) En-  
 comium defuncti Doctoris. (s) Argumentū à maio-  
 ri. (t) Parænesis, idest Admonitio ad Discipulos.



Cernite, vicino mors est in limine curuam  
 Extendens harpé, viridesque secabit in herbas,  
 Temnite divitias, quas nec defferre valetis.  
 Vobiscum post fata, precor, si verba Magistri  
 Penditis: & si me digno servatis honore,  
 Linqute Pentapolim, fugitiváq; sæcula mecum  
 Atq; specus cum Loth, montesq; subite latentes.  
 Aspicitis, quantùm præsens hæc vita caduca  
 est: (u)

Quæ dicenda magis mors est, quã vita fatebor.  
 Erigite ad Cœlum mentes: ibi patria nobis,  
 Nostra quies illic, æternaque mansio pacis:  
 Vita hæc exilium nobis, & pondus iniquum,  
 Sunt ubi tot clades, totque adversantia tela.  
 Ast ubi tot quondã terráq; maríq; potentes (xy)  
 Sunt Reges? ubi quæso Duces? diadema superbũ  
 Induperatorum toto spectabile mundo?  
 Nunc ubi bellorum quondam virtute periti?  
 Aut Oratores ubi sunt, clarique Poëtæ?  
 Pictores, medicíq; graves, Sophiæq; Magistri?  
 Hi periêre omnes, pessúmque abiêre sub imas  
 Terrarũ caveas: ubi mors truculenta moratur,  
 Et solum monimenta sui liquêre sepulchra,  
 Immundos cineres, & fætida corpora bustis.  
 Heu vitæ fallacis amor: qui spargere flores  
 Et violas per agros, ac lilia odora videris,

K 2

Atque

(u) *Gnome.* (xy) *Confirmat exemplis.*



Atque metis spinas, taxos, & toxica demum  
Et risum, in fletus, & gaudia in anxia vertis.

### CAPUT III.

Viventi servire DEO suavissima res est: (z)  
Sunt lachrymæ dulces, suspiria dulcia, dulces  
Prolixæ excubiæ, Jejunia dulcia, dulce  
Subdere se Imperijs, atque inter septa morari  
Quid debet nunc esse probis? ubi carne soluti  
Et miseris curis, locaque in secura recepti  
Læta vident claris obtutibus ora supremi  
Principis: unde fluunt, felicia gaudia semper.  
Quid facimus Chari Comites? ad claustra quietæ,  
Nos citat omnipotens per tot miracula Numen.  
Cur sumus ignavi tanti ad spiraminis auram?  
Pergendum quò dextra vocant nos sydera,  
quò nos

Rorifer impellit Zephyrus, Caurusq; secundat.  
Cedamus Patriâ, moniti meliora sequamur:  
Quippe mihi mens est urbana relinquere tecta,  
Et petere incultos aditus, taciturnaque saxa:  
Atque inter Faunos, & semina dura Leonum:  
Antonî mores amplecti, & nitrea Pauli  
Lustra sub exesis latitabo incognitus antris. (aa)  
At vos egregij Comites, generosa propago,  
Expertis toties humana pericula mecum:  
Menè sequi vultis per tot discrimina rerum?

Mene

(z) *Gnomon.* (aa) *Erotesis interrogatio.*



Menè juvat, veluti semper fecistis, habere  
 Ductorem, fidumq; Patrem, dulcemũ Magistrũ?  
 Dux ego vester ero: nunc, nunc comitabor  
 euntes.

Sic ait, & tepidos fundentia lumina fletus  
 Sæpius admoto siccat velamine *Bruno*.

E numero tanto sex surrexere priores (bb)  
 Ingenio, & Sophiã, rebũque ac sanguine prisco,  
 Andreas, Hugóque sacer, Vegetũsque Garinus,  
 Laudunus, Stephanus Burgensis, itémq; Diensis.  
 Hi duo postremi lybici Doctoris Alumni,  
 Et Canonum Aſſeclæ magni de Cœlibe Ruffi  
 Cœnobio, mirã & pollebant dogmatis arte.  
 Et successivè rupere silentia, tali,  
 Ordine: Præceptor! cui non est alter in orbe  
 Equandus, te nos sumus à puerilibus annis (cc)  
 Sectati, & semper fuimus parere parati  
 Imperijs, dictisque tuis: per Numina, per tot,  
 Quot per Olympiacos scintillant sydera tractus  
 Testamur: sine te possemus vivere nunquam.  
 Per medios ignes, te per media arma sequemur,  
 Eveniat quæcũque tibi fortuna sinistra  
 Ecce mori tecum mens est, & ducere vitam,  
 Vivere felices, verãque in pace valere,  
 O Comites tantò non possumus absq; Magistro  
 Degere sub membris, & gratã luce potiri.

K 3

In-

(bb) *Brunonis Commilitio sex se adiungunt è Disci-  
 pulis.* (cc) *Apocrysis seu Responsum sociorum.*



Incedas quocūque libet, comitamur ovantes:  
Nos igitur pariter spelæa petemus, & antra.

*Vos iterum Socij, vos & terrena valete: [\*]*

Tūque Parisina urbs nostrorū theca laborum,  
Germani valeant; valeant utrique Parentes:  
Divitiæ, atque Domus: & pingua rura valete,  
Nos sequimur superos, pereuntia temnim<sup>9</sup> arva,  
Nos fugimus terrā, & cœli properamus ad arcē.  
*Finierant*: cunctique ruunt in dulcia pacis,  
Oscula, & amplexus, lahrymīsque rigantur utrinque;  
Sicque revertentes in propria tecta, gemebant.

BRUNO capit nullā tacitā sub nocte quietem,  
Sed qualem reperire locū (quo tutus ab omni  
Sit strepitu gentis, maneātque latentior) anceps  
Cogitat, & secum versat, crebrò atque reverfat,  
Vertitur intereā cœlum, & Latonia lampas,  
Oppositas primò nebulas scindebat in ortu.  
Cūque diu orāisset superos, arisque dedisset,  
Mystica cum gemitu libamina, jusque Miner-  
væ (dd)

Pasceret ardentem lychnum, suspensa tenebat  
In multam solus vigilans præcordia noctem:  
Opprimitur somno, & tepido dat membra cubili  
Procumbit languens, & mox, ut lumina texit  
Matutina quies, facies incedere cernit  
Angelicas, labijsque sales miscere modestis.  
Affixit nitidæ fidei signacula fronti, At-

[\*] *Iteratò cuncta valere jubent.*

(dd) *Visus Brunonis nocturnus.*



Atque ait, ô! vos (quas video sub imagine tali  
 Gaudentes animæ) per maxima sceptrâ tonantis  
 Adjuro! ex orco? vel lapsæ hûc estis ab Astris?  
 Dicite: mox hæ alacri vultu, facièque decorâ  
 Netrepida, dixêre DEI sacrate Minister,  
 Mittimur hûc etenim summis è sedibus ad te,  
 Et paradisiaci ferimus mandata Parentis.  
 O te felicem, quem de tot millibus unum  
 Elegêre poli, Monachos reparare labantes.  
 Perge, tuum completo animû, tua vota secunda  
 Hoc tibi Divinus Sator imperat, ito citatus (ee)  
 Granopolim, dicunt vulgari idiomate Galli  
 Hugonémque petas Antistitem: & ille docebit  
 Quê tibi condidimus sublimi in vertice campû.  
 Voce sub Hebræa Carthusia dicitur, hoc est,  
 Sermone Ausonio perfecta vocatio Divûm.  
 Vos quóq; sumatis tanto de nomine nomé, (ff)  
 Et Carthusiaci vestri appellentur Alumni.  
 Vade igitur felix, te totus honorat Olympus.  
 BRUNO, tibi que dabit Divinum in sæcula nomé.  
 Talibus effati fluxêre in nubila vultus  
 Angelici, & sumptæ densato ex aëre formæ.  
 Mox abiêre, thorúsque omnis spiravit amomô.  
 Ille gemens, tantique labans dulcedine verbi  
 Corripit è strato corpus, tenditque supinas.

K 4 Ad

(ee) *Pro Gratianopolim.* (ff) *Carthusia Etymologia ex habreo petita.*



Ad superos cum voce manus, gratésque re-  
pendit. (gg)

Numina (tùm dixit) Cœli quæ limen habetis:  
Si mihi sint totidem linguæ, quot lumina fertur  
In membris habuisse Argus, persolvere dignas  
Haud possem laudes, istud quòd munus obire  
Me facitis dignû. Tua sunt hæc munera Christe,  
Est nihil excellens in me, vos omnia fertis.  
Optima cæpta date: gressûsque parate secundos  
Cælicolæ, quibus est humanæ cura salutis.

---

#### C A P U T IV.

**B**RUNO jubet Socios ad se sub manè vocari.  
Continuò adveniunt illis ea singula narrat  
Irriguos inter fletus, rorésque tepentes,  
Inter complexus, inter sancta oscula; dextras  
Dant pariter fideique arrhas, & fœdus amoris.  
Constituère omnes opus accelerare futurum,  
Atque reservatis paucis ad Fana struenda.  
Cætera pauperibus bona distribuère per urbé.  
Præcipiunt famulis, ut equos adducere certent,  
Ac fellas, & frena parent, tunc ocyùs omnes  
Imperio parere student, & iussa faceffunt. (hh)  
Codicibus jumenta onerant, & plaustra citati.  
Fit strepitus, vocésque per ardua tecta volutant,

Miranti-  
(gg) Brunonis gratiarum actio. (hh) B. Bruno  
senis Comitatus Socijs deserta petit.



Mirantur subitos Dominorum ex ædere recessus!  
 Parcere nec possunt lachrymis, miseróq; dolori.

Convertêre pios ad summa palatia vultus,  
 Singultúque gravi, & gemitu dixêre patienti[\*]

*Aula superba vale*, redimita Aulæa valete,  
 Non eritis per nos ultrà visenda; Colonis  
 Linquimus externis vos esse habitanda, *valete*:

Imus ad ignotas (nunquàm redibimus) oras.  
 Sícque viam carpunt, & equis calcaria figunt.

Mox igitur septem stellas ex æthere fumo (ii)  
 Demisêre poli, quibus una nitentior ibat

Ante alias, nec non Phæbi nascentis âb ortu,  
 Ferre videbatur gressum ad sublimia tecta

Præfulis Hugonis: rigidúmque ascendere collé,  
 Qui vicinus erat, celsóque incumbere saxo.

Talia, cum dulci decumberet ille sopore,  
 Suspicit:â somno postquàm expergiscitur, omne

Mente agitat factú: pensat secum atq; repensat,  
 Quid, bone, vult, De hoc, inquit, mirabile signú?

Quid, rogo, portendút hæc septé sydera mundo?  
 Altius hæc igitur dum cogitat imminet urbi (kk)

Sex socijs Doctor comitatus, & introit ædes  
 Pontificis, quem se secreto affamine dixit

Visere velle; intra penetralia ducitur aula.  
 K 5 Et

[\*] *Valedicunt Laribus suis.*

(ii) *Stellarum septem apparitio.* (kk) *Excipiuntur benignè ab Hugone Gratianopolitano Antistite*

*Mosphonisis B. Brunonis ad Episcopum Hugonem.*



Et Comites seni se inclinant; oscula figit  
 Sacratis manibus BRUNO, sicque incipit ore;

Grande *decus* Fidei, rectissima *Norma* parentū  
 Hugo, ab Olympiacis moniti per somnia Divis,  
 Venimus hūc ad te, nostram quóque pandimus  
 omnem,

Quam superi tetigēre suo spiramine, mentem.  
 Terruit horrendo nos summa potentia monstro,  
 Quod, puto, nō lateat quóq; te: cum Gallia tota  
 Hāc novitate rei multis sit plena diebus.

O quā cruda dies, grandiq; tremenda pavore  
 Illa fuit: quæ nos tanto calefecit amore!  
 Singula tu nosti melius sanctissime Pastor,  
 Quem DEUS illustrem majori lumine fecit.

Hi sex Discipuli rigidum conscendere montem,  
 Religionis, in his mecum regionibus optant.  
 Uno animo cuncti in vasta vellemus eremo  
 Degere, & in rigidis vitam deducere septis.

Jam saturi mundo, nos fastidimus in illo  
 Quidquid adest, omnesq; pari inflamamur amore.  
 Ergò locum nobis aptum Pater inclyte pande,  
 Pande, rogo, scimus quoniā potefecit olympus

Tanta tibi, temētque juvamina grata daturum.  
 Hoc in opus: nobisq; Ducem ad deferta futurū,  
 Sic BRUNO: At verbis socij assensere loquentis.

His Pater auditis, nequit cohibere cadentes (11)  
 Ex oculis fluvios, levat ac amplectitur illos,

(11) *Hugonis Eketeja ad DEUM.*



Suspiciensque polos, mox verba erupit in ista:  
 O supreme Dator! devoluens ætheris orbes,  
 Influxus in eos, qui tempora læta ministrant,  
 Aureaque effusâ deducunt sæcula pace.

Quali ego te dignè verbo, laudare vel actu  
 Affectuè queam? nostro qui tanta sub ævo  
 Mira facis, tantoque hominem dignaris amore,  
 Demere de luteis, & ad axem attollere curis.

Visa mihi in somnis ea septem sydera: quid ni  
 Hosce viros signât, hæc septé pectora monstrât,  
 Plena Deo, occiduos collustratura Penates:

Namque suos ad nos Oriens transmisit honores,  
 Gallia tu felix, quæ tanto germine gaudes!

Quamvè peregrino decorant à climate gentes:  
 Mox illis dulci sic est sermone locutus: (mm)

Arbitror esse locum, vobis divinitus aptum,  
 Quà declinârunt septem de nubibus astra:

Ipsè situm recolo, memorique in pectore servo,  
 Ardua deducit, gibbosaque Semita rupis

Illuc, effatus locus est, & frigidus, ultra  
 Quàm dici possit: sunt saxa albentia semper

Affiduis nivibus, surgente, carentia, sole,  
 Manè soporati simul ibimus: inspiciemus,

Quicquid erit, camposibi contéplabimur arctos  
 Interea mecum *Nati* maneatis in aula,

Et, memores estote mei, memorésq; meorum.  
 Sicque quieverunt hîc factò fine loquendi.

CA-

(mm) *Descriptio Carthusiæ.*



## CAPUT V.

Cumq; diurna novo sole intervalla redirent  
 Tùm montana petunt omnes, & culmen apri-  
 cum: (nn)

Ad supremum igitur tandem venêre cacumen,  
 Hernica saxa vident, horrentésq; undiq; rupes,  
 Non arbuſta illic, non ligna ferentia fructus,  
 Vix ibi sunt herbæ virides, humilésq; genistæ.  
 Hicque rigore loci Præſul perterritus, inquit:  
 O quantum doleo Fratrum dilecta Corona!  
 Tam ſteriles adijſſe ſinus, ſublimia ſepta,  
 En infæcundæ vallant nos, undique cautes.  
 Vix ſolem aſpicimus, veſpérq; manere videtur  
 Hic ſemper, nebulæ graves, hic nulla ferarum  
 Luſtra tuor, nullos aditus, veſtigia nulla,  
 Non avis huc, non vir, non bellua forſitan ulla  
 Accèſſère: horrent ſanè hæc loca frigida ſemper  
 Perpetuis nivibus ſurgente, carentia, ſole.  
 Ergò homines vivent, renuunt ubi vivere  
 bruta! (oo)

Pandite quid facitis? ſique hîc habitare valetis?  
 Sicque loquebatur: repetentem ſingula BRUNO  
 His interrupit verbis; ô Candide Princeps!  
 Nonnè putas melius ſufferre incommoda montis

Hujus,

(nn) Hypotypoſis vaſtæ ſolitudinis, horridæque  
 (oo) Epiphonema Per interrogationem. Bruno-  
 nis ſapientiſſimum reſponſum.



Hujus, & algores gelidos, quàm ferre vel uno  
Inferni tormenta die, variòsque dolores?

Ad superos attollo acies, & mente revoluo  
Fucundos sine morte dies, & munera semper  
Duratura olim, nullùmque videntia finem.

Hùc vocat omnipotens nos, & manifesta dedere  
Signa poli, & modicis damnis terrebitur hujus  
Vitæ infelicis, vitæque decore carentis?

Absit! sum potiùs discrimen iturus in omne.

Hìc igitur sit nostra quies, & sancta voluptas.

Dixit, & unanimes cuncti assensere loquenti.

Res memoranda! statim vir præstantissimus

Hugo

Cum BRUNONE simul cunctisq; Sodalibus, ista

Ore uno dixere alacres in carmine verba:

O salve semper Regio tutissima mundi!

O salve quæ sita diu, tu saxea moles!

Purgatura pias longa à rubigine mentes,

Et multos missura animos in tecta Deorum.

O salve superùm mons impinguatus amore!

Cujus terra licet sterile sciat munere glebæ,

Culturâq; carens, & frugibus haud tamè unquã

Est caritura illis fruticetis, atque virore

Illo, ex quo sancti gignuntur in æthere fructus.

Herbis aret humus, sed ager virtutibus almis

Pinguescet semper, meritis cumulatus opimis.

Salvete ô tacitæ sylvæ, tenuésque myricæ,

Sumite nos hilari vestra in consortia vultu,

Veni-



Venimus hūc victuri omnes, simul & morturi.

Post hæc Artifices cæpère excidere saxa  
 Cotibus ex altis, calcémq; parare tenacem. (pp)  
 Hi fodiunt, alit hic cumulos componit arenæ.  
 Ille solum sternit, lateres hic portat & undas,  
 Scalpra sonant, dolabræque graves, duræque  
 bipennes.

Longiùs auditur strepitus, rumórque virorum,  
 Planicie in summa Cellæque & Fana struuntur:  
 Christiparæque sacrum Genitrici ac Ara dicatur.  
 Ille locus privatus erat pluvialibus undis: (qq)  
 Non ibi cisternæ puteúsque nec ullus ibidem,  
 In fovea tantum pluvialis lymphæ manebat:  
 Mortua & interdum luteo fætebat odore.  
 In mærore omnes incommoda tanta, ferebant,  
 Sed quid certa Fides non impetrat atq; meretur?  
 Se dedit in lachrymas, oravitque inclytus ille  
 Cœtus, & obtinuit supplex quod axe petivit.  
 Námque statim in dura fodère crepidine rupis.  
 Nec mora continuo latices fluxère recètes, (rr)  
 Et rivos egere amplos ad fluminis instar:  
 Lambit adhuc curvo fons ille cacumina cursu,  
 Cellarúmque hortos vitreo circumfluit amne.  
 Durat adhuc signum renovans miracula Mòsis,  
 Qui sterili deduxit aquas de marmore dulces:  
 Quando Hebræa cohors Arabū deserta petivit.

(pp) *Carthusiæ Origo.* (qq) *Bruno fontem im-*  
*petrat.* (rr) *Fons B. Brunonis.*

Jém-

Ja  
 Hof  
 Hug  
 Ad  
 Visc  
 Atq  
 Rust  
 Ipso  
 Scar  
 Agn  
 Præ  
 Et d  
 Fum  
 Altit  
 Pon  
 Jam  
 Incip  
 Past  
 Myf  
 Ded  
 Sitq  
 Con  
 Præ  
 Juge  
 T  
 (ss)  
 locus  
 mon



Jamq; dies soleñis erat, quo machina surgens  
 Hospitio poterat Monachos fervare decenti;  
 Hugo ciet Clerũ, Civésque invitat ab urbe, (ss)  
 Ad summos aditus, incultáque limina montis  
 Visuros fieri festivi encœnia templi,  
 Atque viros tantos habitus assumere sanctæ  
 Rusticitatis, & exesas latitare per alpes.  
 Ipso igitur Clero comitante, cacumina sylvæ  
 Scandit: at hic ægrè BRUNO Fratrésq; ferebant  
 Agmina tot gentis, tot per pia tecta tumultus.  
 Præsul adest, sacras solito capit ordine vestes,  
 Et decus imponit capiti, bifidámque Tiaram,  
 Fumus odoratus veniens è thure sabæo  
 Altiùs ascendit Faníque volumina complet.  
 Pontifici Cathedrã parat ille, hic stragula sternit  
 Jamque sacerdotes æquo discrimine vocum  
 Incipiunt cantus: rutilas assurgit ad aras  
 Pastor, & erectis Cœli ad fastigia palmis (tt)  
 Mystica sancta litat, superis & munera libat.  
 Dedicat interea Templũ Claustrúmque sacerdos,  
 Sitque novæ domui nomen *Carthusiæ* mandat:  
 Condendásque domos habituras nomen ab illa.  
 Prædia donavit, donavit pingua villæ  
 Jugera, quò Monachi sine questu vivere possent.  
 Tunc adyta ingreditur BRUNO, seníque so-  
 dales (uu) Qui-

(ss) *Carthusiana ædis Dedicatio.* (tt) *Dedicatur*  
*locus Carthusiæ Divino Numini.* (uu) *B. Bruno*  
*monasticum cum suis habitum induit.*



Quilibet exuitur pretiosis usque lacernis  
 Mollibus, atq; trahunt crepidas è crurib<sup>9</sup> omnes  
 Confestim; tondent generoso è vertice crines:  
 Apparent juvenum formosa & lactea membra;  
 Nudatìque manent, genibúsq; & corpore flexi;  
 Mox aperit lugens villosò tegmine Pastor (xx)  
 Candida Doctoris, Fratrumq; tenerima dorso,  
 Atque rudi sacco niveúmque imponit amictum  
 Virgine de lana, niveâ tùm canabe. Cingit  
 Atque tegit scapulas albo clausóque cucullo  
 Indicio æternæ clausuræ munditiæque.  
 Innumeræ astabant turbæ cunctíque gemebant,  
 Nec poterant retinere pios pia pectora planctus,  
 Tunc etiam summi nitido de vertice cœli,  
 Angelici venêre chori, cantúque sonoro  
 Festa celebrarunt: hos murice clarus & ostro,  
 Præcedens *David Citharam* pullabat eburnam:  
 Húc & *Joannes* villosâ pelle *Cameli*,  
 Cinctus prædulces circumplexurus alumnos  
 Venerat: hic *Paulus* tectus velamine *palma*,  
 Híc erat *Hilarion* celebérque *Antonius* heros,  
 Candentíque togâ *Benedictus* & ore verendus,  
 Qui latebras olim fuerant saltúsque secuti.

Discite mundano vos qui insudatis honori (yy)  
 Qui caput erigitis, tumidum qui pectus habetis

(xx) *Amictus Carthusianorum.* (yy) *Parænesis*  
*per apostrophem.*

Præ  
 Alt  
 —

T

Vic

Feli

Sed

Car

Ob

Cur

Mis

F

Ter

Ege

Dod

Cor

Oro

Nur

Max

Cor

Quo

Om

Cor

(22)

cum

stus



Præsenti speculo, & tanta dulcedine moti.  
Alta supercilia elata deponere frontis.

---

## C A P U T VI.

**T**ú Pater excelsæ Christi qui præfuit aulæ (zz)  
VICTOR, olympiacos forte aspiciebat in axes  
Felicisq; choros vidit splendore corusco  
Sedibus è summis lætum associare Tonantem,  
Carthusiæ sanctos pergentem invifere colles,  
Obstupuit! montes illos & clima notavit,  
Cursorémque illuc celerem, celerésq; tabellas  
Misit, & Hugoni visa hæc miracula scripsit.

Hugo admiratus! quodcúnque evenerat illo  
Tempore rescripsit quæve in confinibus illis  
Egerat omnipotens, calamo dat nota volante,  
Doctorem, & senos Comites à turbine mundi  
Conversos: septem stellarum lumina, nec non  
Ordinis incæpti seriem, strictúmque rigorem.  
Nuntius abscessit: latiámque rediit ad urbem:  
Maximus ut pastor cæpit nova nuncia gaudens  
Convocat extemplo patres, sanctúmque se-  
natum: (1)

Quos Romana facit sublimes purpura, Pandit  
Omne quod acciderat factum, & divinitus auctú  
Confirmavit opus, votis concordibus aulæ,

L Di-

(zz) Victor. 3. Pontifex. (1) Summus Pontifex sacro  
cum Cardinalium senatu Carthusiense approbat In-  
stitutum.



Divinisque illud confecto grammate donis  
 Munivit, variisque effecit dotibus alnum,  
 Servanturque notis signata bifrontibus æra:  
 Hoc, & idem plures summi fecere Parentes,  
 Qui caput excelsum triplici diademate cingunt.  
 Hugo autem nunquam potuit desistere captis  
 Quos semel adjuvit, fovit quoque; semper & auxit,  
 Jugiter inter eos studuit consistere, claustro  
 Conditus, albentes tunicas quoque; sumpsit ab illis,  
 Non nisi que inter eos voluit decedere vitam:  
 Fœmineos vultus ibi quadraginta per annos (2)  
 Aspexit nunquam, nullisque ambivit honores.  
 Demum est in Divos post funera sancta relatus,  
 Tunc etiam Divi Theophredi maximus Abbas,  
 Guillelmus, cessit mitræ, baculumque reliquit  
 Sacratum, nec non Monachorum ditia templa  
 Degeréque elegit solus sub paupere tecto,  
 Sub BRUNONIS ope, & niveum suscepit amictum.  
 Victore assumpto successit honoribus (3) urbis (3)  
 Cluniacæ gentis princeps, Urbanus in omni  
 Præclarus Sophia, fuerat BRUNO illius olim  
 Doctor, & idcirco cupiens in rebus agendis,  
 Præceptoris ope, & monitis sapientibus uti,  
 Consiliisque ejus; Romana mittit ab urbe  
 Ad Carthusiaci gelidissima Culmina montis  
 Nuntium, ut in Sanctæ BRUNONEM convocet aulae

(2) Mira virtus Hugonis. (3) Urbanus secundus  
 succedit Victori.

Ob  
 Per  
 P  
 An  
 An  
 Ne  
 Ant  
 Dul  
 BRU  
 Pon  
 Sic  
 Heu  
 Rom  
 Exil  
 Ceu  
 Pup  
 Tur  
 —  
 PR  
 Pon  
 Ofc  
 Atte  
 Dat  
 Susc  
 Ob  
 (4)  
 acce



Obsequiū, hīcque patris summi mandata capeffens  
Pergit, & optatas cursu pervenit ad ædes.

Pontificis chartas accepit BRUNO legensque  
Anxius addubitat, sibi quid tunc esset agendum?  
An tentare viam, seu respondere precando,  
Nè se proposito retrahat, nè grata relinquat  
Antra, quibus latitare nihil contingere posset  
Dulcius, at postquam partes evoluerat ambas,  
BRUNO reluctari votis, jussisque supremi  
Pontificis putat esse nefas, concludit eundum,  
Sic licet invitus, Carthusia deserit arva.  
Heu quantos gemitus, heu quot lamēta, per osus  
Romuleos fasces, curas atque aspera cellæ  
Exilia emisit BRUNO, emisere sodales? (4)  
Ceu clavo amisso, ac veluti temone refracto  
Puppis erant, adeò dispendia multa tulēre  
Tunc omnes. Laudūnus erat moderator ovilis.

---

## C A P U T VII.

**P**Rotinus ut summi BRUNO pervenit ad au-  
lam (5)

Pontificis, toto prostratus pectore figit  
Oscula sacratis pedibus: sed Papa jacentem  
Attollit manibus, venienti applaudit amico,  
Dat faciles aditus, & læta fronte Magistrum  
Suscipit hospitio multoque exceptus honore

L 2

Pon-

(4) Elegans homæosis. (5) P. Bruno invitus Romam  
accerfitur.



Pontificis lateri Consul fidissimus hæret.  
 Hujus & hortatu motus diversa coëgit  
 Consilia Urbanus: generosa Placentia Testis,  
 Sunt Testes Melphi: Clarus mons Testis ibidem,  
 Multa sacrosancti decrevit pneumatis aura;  
 Instituit MARIÆ celebrari Virginis horas  
 Quotidie à Cleris: sabbata cuncta dicari,  
 In Mahumetanos (quæ gens contraria Christo est)  
 Millia multa hominum, Fidei succensus amore  
 Armavit, qui signa Crucis subiêre parati  
 Christo immortalis mortalem reddere vitam.  
 Dux Godefredus erat Billonius optimus armis,  
 Sanguinèq; antiquo, virtuteq; magnus & audax  
 Auxilio superùm Turcas prostravit, & urbem  
 Ingressus sanctam, capiti diadema recusat  
 Imponi regale suo: quùm Christus in illa  
 Urbe Coronatus sit spinis dispare formâ. (6)  
 Interea Doctor nequiens tolerare tumultus  
 Urbis, Apostolicos interpellasse parentes  
 Fertur, ut optatas sinerent se visere sylvas:  
 Atque frui solitæ dulci solamine pacis,  
 Nolentes verò tantum sub nube nitorem  
 Cælari, renuere Patres, fecereque Rhemis  
 Pontificem toto populo exultante; sed ille  
 Cessit, & indignum tanto se dixit honore (7)

(6) Postulat sibi dari facultatem Curiam deserendi  
 Romanam. (7) P. Bruno electus Rhemensium vel ut  
 alij volunt Regimensium Antistes.



Atq; onere: agnoscebat enim; discrimine quâto  
 Quisque subire queat Prælati nomen, & ingens  
 Pondus: at instanti discessum ex urbe rogatu  
 Obtinet, ad Calabras exivit protinus oras,  
 Pristina nō repetens Carthusi habitacula mōtis;  
 Ne fortasse sequi Romani Antistitis aulam  
 Arte videretur tacitâ: nam Papa quietos  
 Tum fines adiit Gallorum urbemque reliquit,  
 Ad Carthusiacæ Cultores scripsit Eremi  
 BRUNO, quid impediât reditum: & quæ causa  
 remotè  
 Transtulit in Calabros, quippe illi firma voluntas  
 Perstitit antiquos aliquando revisere colles:  
 Dum foret optatis occasio commoda rebus.  
 Optata gaudens de libertate recessus  
 Alloquitur BRUNO, Charos hâc voce Sodales:  
 Vidistis Comites, Romanæ tot mala gentis,  
 Quis numerare potest? memet narrare volentē,  
 Impediunt lachrymæ: sunt mille pericula, mille  
 Sunt laquei, & nostræ sunt mille incommoda vitæ,  
 Bella, neces, rixas, litigiosa popelli  
 Jurgia, livores, odia inveterata, tumultus  
 Vidimus, & miserâ quosdâ ambitione tumentes,  
 Hinc, precor, avertamus iter: DEUS evocat  
 hinc nos,  
 Eripit à tenebris, dum lux præcedit, eamus,



Antiqui repetamus iter, repetamus amorem (8)  
 Propositi: cellas humiles, Sylvasque quietas  
 Atque intermissæ solatia dulcia vitæ.  
 Dixit, & ad cursum promptos sermonibus urget;  
 Optatasque vias concordi mente sequuntur.

Post hæc discipulos alios hinc inde coëgit,  
 Linquebant opulenta alij patrimonia, cultus  
 Corporis, & ventris curas, ditissima castra.  
 Denique quidquid habet fallacis gloria mundi  
 Spreverunt penitus, per inhospita saxa secuti  
 Brunonem, quocunque manus divina vocasset.  
 Purpura calcatur: Bruno feliciter artus (9)  
 Veste tegit niveâ, dat vestimenta salutis:  
 Infantes, humilesque notans hos esse futuros.  
 Hos tenues habitare specus, & lustra docebat.  
 Hos fervore animi, quo se instruxerat ante,  
 Dum Carthusiacis Bruno degebat in antris.  
 Per nemus umbrosû sibi construxere cavernas,  
 Finibus in Calabris: nam paupertate cöacti  
 Non poterant cellas sublimi attollere tecto.  
 At Princeps Calabrâ fungens ditione Rogerus,  
 In nemus ire parat venatum: læta juvenus,  
 Retia rara ferunt, venabula odora canumque  
 Agmina deducunt, sonipes spumantia mandit  
 Fræna: ruunt equites cinctis ad terga pharetris,  
 Postquâ frondiferi ventû est ad culmina montis,

In via

(8) Bruno cum socijs aliquot ad Calabriae deserta  
 contendit. (9) Candor vestis index modestiæ.



Invia lustra patent : dejectæ à vertice saxi,  
 Ecce feræ aufugiunt, & pulverulenta fatigant  
 Crura jugis : vallesq; petunt, campósq; patentes  
 Tela sonant, clamantq; viri, volitantq; sagittæ,  
 Dantq; lyciscæ agiles saltus, cervósq; lequuntur.  
 Antra petunt ubi Bruno latet, sanctiq; Sodales  
 Majestate virúm moti, tellure cadentes  
 Inflexère genu, caudásque movendo sub illis,  
 Numen adorarunt, implent latratibus auras,  
 Et Dux errat equo medijs in vallibus, atque  
 Baubatus varios audit, forsánq; repertum (10)  
 Credit Aprú, aut aliqué descendere rupe Leoné,  
 Insequitur cursu nuncq; hos, nunc præterit  
 illos.

Ad latebras tandem pervênit: eásque lyciscas  
 Aspicit oranti caudis applaudere sancto,  
 Poplitèque incurvo fixos accumbere terra  
 Mox descendit equo: faciem vultusq; verendos  
 Contemplatus, humi cecidit causamq; requirit,  
 Tam vasta audendi deserta tenere? Beatus  
 Singula narravit Doctór, verbumquè salutis  
 Protulit, atque Ducem superúm cãlfecit amore,  
 Mox fieri delubra jubet, Cellásque, Domoque  
 Divitiasquè dedit, terrasquè ac oppida Princeps  
 Jumenta atque pecus varium. Carthusia nobis  
 Ista secunda fuit virtutibus inclyta multis.

L 4

Hinc

(10) *Latratu*



Hinc Dux Brunonis precibus, comitumque  
piorum

Confusus sperabat opem: Si quando necesse  
In dubijs quidquam bellorum eventibus esset.  
Hunc etiam nec spes, nec opinio vana fefellit,  
Quandoquidē Capuæ dum muros undiq; circū  
Obsidet agminibus latè implens oppida multis,  
Sergius excubijs noctis præfectus ab illo,  
Sancta datæ fidei violavit fœdera, falso  
Quæ juramento Divum promiserat aris.

Principi enim Capuæ tacita sub nocte latentes,  
Se patefacturum ad sibi credita Castra Rogeri.  
Res infanda! aditus animo promisit avaro.

Jam jam nox aderat, quâ proditor impius omnē  
Patraturus erat (nī obstarent Numina) fraudem.

Oppositæ stabant acies, properabat iniquus  
Sergius hostiles furtim introducere turmas. (II)

Dux tenuem in somnum tunc declinarat ocellos  
BRUNO quiescenti (res admiranda!) repente

Astitit illachrymans: & scissis vestibibus iras

Denudans in eum Capuani militis inquit:

Surge, cape arma, vide Princeps si numina Cœli  
Tequē, tuosquē velint à proditione parata

Eripere: Attonitus somno sese excutit agmen  
Excitat: ut, veri, quid haberet visio, nōssset.

Arma capit, fiunt strepitus, it clamor in auras.

Anxia turba Ducem sequitur: licet inscia motus

Tam

(II) *Enyptias.*



Tam subiti. Castris mox Sergius atque sequaces  
 Aufugiunt, Capuamq; petunt, Dux impiger illos  
 Persequitur, Capuani obsunt, pugnatur utrinq;  
 Tela sonant telis. Tandem victore Rogero  
 detexere dolos istis incurfibus, hostes  
 Devicti, captique: memor certusque Rogerus  
 Quod BRUNONIS ope hanc fraudem evassisset,  
 adivit

Hunc: & ob id grates magnis cum vocibus egit:  
 Non ego, Bruno inquit, sed coeli missus ab axe  
 Astans Principibus, bellorum tempore, fraudes  
 Angelus, in somnis tibi promonstravit iniquas.

BRUNO post longi victricia bella laboris, (12)  
 Coelitibus Sanctam delegit reddere mentem:  
 Innocuumque animum coenoso a carnis odore  
 Cujus & illustres obitus, sublimia passim  
 Agmina Spirituum cantu venerata superno,  
 Usque ad sydereos comitata fuere Senatus:  
 Quam Pater excelsos aeternam pace triumphos  
 Aspicit, & Divos miram dulcedine vultus: (13)  
 Hic pro Eremiculis magno dat vota Tonanti  
 Innumeris etiam post inclyta funera claret  
 Prodigijs: nam fons vivus de fauce sepulchri  
 Continuo emanat, multis languoribus aptus  
 Curandis, & adhuc Brunonia lympham vocatur

L 5

CON-

(12) Obitus Sanctissimi Patris Brunonis. (13) Fons  
 ad ejus tumulum miraculose plurimorum aegritu-  
 dines depellens erumpit.





# CONCLUSIO,

ET

## COMMONITIO,

*Quâ jubetur Candidus, in suprâ  
allatis pietatis Exercitijs constantiam tenere.*

Candide, præfixi laboris terminum attigi, gratulaturus mihi operæ meæ pretium, si vel unico, ex præscriptis, Exercitio, tu in omni vita tua benè (ut opto) in solatium animæ tuæ usus fueris. Si autem præter spem, & ultrâ meritum meum, benecœptis, & piè susceptis Decretis tuis, etiam *Constantiam* adjeceris, desiderij mei vota tantò jucundiùs excedes.

Pro Coronide meo, & Paulino monito morem gere: *Attende Lectioni. 1. Tim. 4. v. 13.* Sed quomodo? *Primo* Eam, quam legis doctrinam, aut veritatem, sic accipe, quasi *Epistolam* de cœlo missam, in qua DEUS significat tibi, quid à te velit. Tu autem audi *tibi* loquentem Dominum.

*Secundò* Lege, non spiritu *Vanitatis*, aut *Curiositatis*, sed affectu sincero *DEUM* cognoscendi *clariùs*, *ardentiùs* amandi, & *studiosiùs* illi *serviendi*. Lecta refer non tam ad instructionem aliorum, quàm ad profectum spiritualem proprium.

*Tertiò*



*Tertio ut Lectio profut, non festinanter, sed lente, & cum aliqua quiete Legendum est: post lectam unam periodum, aut stropham, cessa paulisper, & considera breviter quidem, sed profundè, quàm verum, & necessarium sit, quod proxima periodus proponit, excita etiam in te affectum vitandi, quod damnat, faciendi, quod probat. Interdum brevia quædam suspiria interfere: v. g. Audiam, quid loquatur in me Dominus. O increata lux illuminans omnem hominem, illumina tenebras meas.*

*Quarto. Sicut ab Oratione Lectionem auspicatus es, ita precatiunculâ, & oblatione brevi concludes juxta monita Instructionis primæ, de quovis opere sanctè peragendo. Part. 3. panis cæli. Et Instruct. 6. Nicolaus Elffen!*

” Denique adjuro te, mi Candide, per quid-  
 ” quid in cælo simul, & terra sacrum est (sunt  
 ” verba S. Francisci de Sales) per baptismum,  
 ” quem olim recepisti, per ubera, quæ Re-  
 ” demptor noster JESUS suxit, per flagrans  
 ” charitatis cor ejus, quo te dilexit, & per vis-  
 ” cera misericordiæ illius, in quam speras (ut  
 ” hos Pietatis Igniculos, quos spiritûs S. gratiâ, &  
 ” adminiculo Lectionis Perennis hujus Ignarij con-  
 ” cepisti, ita in Dies constanter, fovere studeas, ut  
 ” aliquando orato Divini Amoris Incendio Sanctè  
 ” incinereris) Dies nostri prætereunt, mors ante  
 fores





fores est: *Tuba*, inquit, S. Gregorius Nazian-  
 senus, canit receptui, ut quisque se ad *abeundum*  
 praparet: quia *Judicium* instat. S. Sympho-  
 riani Mater, videns filium ad mortem, & Mar-  
 tyrium abduci, illi jugiter inclamabat: *Meme-*  
*to fili mi, vitæ celestis, & æternæ: cælum intueri,*  
*& illic regnantem ante oculos habe: finis proximus*  
*brevem vitæ hujus cursum, brevi, & in momento*  
*terminabit.* Idem tibi inclamabo, mi *Candide,*  
 & dicam: *cælum respice, neve ipsum cum terra*  
*commuta: Infernum respice; nec propter mo-*  
*mentanea in illum te præcipita; JESUM re-*  
*spice, nec propter mundum eum abnega: & cum*  
*vitæ devotæ labor tibi videbitur durus, &*  
*gravis, dicito cum S. Francisco: Labor omnis*  
*voluptati mihi est, cum, quæ expectio gaudia con-*  
*sidero: & tanta est gloria, quam expecto, ut*  
*omnis me pœna delectet.*



O. A. M. D. G. B. V. M. S. B.  
 SS. OO. H.



Et factum est Verbum Domini ad me dicens: fili  
hominis propone æigma, &c. (\*)

# LOGOGRIPHUS

SEU

Votum Ænigmaticum Anonymi,

*In quo primis 7.*

S. BRUNONIS Stellis (a)

♁ \* \* \* \* \* ♃ *vid. fol.*

CUPIT ADDI \* OCTAVAM

CHRONOSTICÈ AD DEUM

SUSPIRANS.

o! DEVS Inntlls, (b)

NOVa steLLa slt aDDIta  
steLLIs!



Quam Jovis ASPECTU \* superi dent esse BEATAM

Hoc rogat ex animo tota Corona domûs. (b)

Si quæris, quis is est? Liber (c) est, anagrammate  
bino (d)

Cuî frontem VER (c) PIX obtegit arte metri.

(\*) Ezechielis c. 17. v. 2. (a) Fol. 149.

(b) Sac. Cereris. 2, de Leg. 36. id est primis Ss. huj. Ord.





Detrahe schema genis (f), quis is est? dolus  
inde (g) patebit:

EX VER PIX (b) VERPECH prodit utrinque  
quod est (\*)

Et crucis, & Christi crucifixi est fortis AMATOR  
Vir pietate suâ, dignus honore mitræ.

Hic MUNDUM fugit, tamen hæc CRUX obtigit illi,  
Ut Crucis effigiem, pauper ubique legat.

Scilicet ex multis placuit CRUCIFIXUS HIC UNUS  
ANDREAS, Christo; cûi crucifixus erat.

Sic tu sis LECTOR CRUCIS, & VIRTUTIS AMATOR,  
Dictis, & factis, ut fuit ille. VALE.

Ut valeas tandem sic CANDIDUS, & RUBICUNDUS  
Par meritis tantis esse Coronis ei.

### *Anigmatis Solutio quæ?*

CANDIDE tu Lector, sis Oedipus, & simul Hector  
OCTAVÆ STELLÆ. Ast tu bone Zoile

(tace. (a) Et

Quia Centocru'us Argus es, Menda Typographi,  
Mea, ac etiam tua tacendo emenda.

### *Fructus hujus Libelli.*

Sit Fructus primus Libri, Compunctio Zoili,  
Numinis (alter) amor; Gloria, laus & honor

Amen. Fiat! Fiat.

F I N I S.





## I N D E X.

Indice non opus est cum totus sit Liber Index

*Syllabus Errorum Typographi-*  
*corum.*

Pag.	Lin.	Error	Lege	Correct.
5	8	Conjunctio	lege	Conjuncto
7	26	minis	lege	nimis
8	4	eonsilium	lege	consilium
13	15	statuum	lege	statutum
17	27	Felix op.	lege	O Felix, &c.
21	21	ut mundus	lege	ubi mundus.
28	27	(b) Ang. &c.	lege	Aug. soliloq.
29	21	omissum est	adde	Ita S. Aug.
35	12	ore	lege	ora
38	3	paratam	lege	paratum
39	4	mleancholiam	lege	melancholi- cam
43	12	§. II.	lege	§. III.
46	4	emittet	lege	emittes
49	1	generasquæ	lege	genera, quæ
53	4	inhilo	lege	nihilo
53	19	doctrina Catho- lica	lege	Doctrina Ca- tholica
54	13	In certa	lege	Incerta





Fol.	lin.	error	corre.
54	18	pondorosiffi. mum	lege ponderosiffi- mum
72	10	Sine animo	lege Sint animo
73	2	Proemia	lege Parcemia
76	3	eliberandum	lege deliberandum
78	14	sumniculosè	lege somniculosè
78	19	vitæ	lege vita
85	1	Canditatus	lege Candidatus
89	11	Brunoni	lege Brunonis
92	24	Incendit	lege incendio
125	21	oruces	lege Cruces
144	24	Parrhilius	lege Parrhifius
93	24	Sicut homo	lege Si ut
121	13	puod	lege quod
123	9	Lectitattone	lege lectitatione
123	18	exerptum	lege excerptum
119	4	aqud Deum	lege apud
119	6	noft	lege nostri
110	13	tuis &c.	lege luis

### *Cætera,*

Menda repurgabit pro pietate sua, Bene-  
volus Lector.

### *Imprimatur.*

Joannes Jacobus Schilling, Vic. Genera-  
lis Labacensis.

Labaci ex Officio Episcopali 6. Martij, 1717.



fi.

al

um

e

ps

s

ic.

—

ra.







